

ELEMENTA
AD FONTIUM EDITIONES
LXXIV

DOCUMENTA EX ARCHIVIO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXIX PARS

Ostrpr. Fol., vol. 43, 46, 57, HBA, B, K. 1188, 1189, a.1565-1566

ediderunt

CAROLINA LANCKORÓNSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXTINGUETUR

ROMAE 1990

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituent*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1985

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.
- IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.
- VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.
- VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.
- VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.
- IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.
- X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.
- XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.
- XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.
- XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.
- XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.
- XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.
- XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.
- XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.
- XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.
- XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VI pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab., 1968.
- XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, II pars. Ed. C. LANCKORONSKA et G. STEEN JENSEN, 266 doc. (A.D. 1577-1696), 4 tab., pp. VI+324, 1969.


E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
LXXIV

DOCUMENTA EX ARCHIVIO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXIX PARS

Ostpr. Fol., vol. 43, 46, 57, HBA, B, K. 1188, 1189, a.1565-1566

ediderunt

CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXTINGUETUR

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

INDEX RERUM

	Pag.
Introductio	VII
Abbreviationes	» IX
Textus	» 3
Elenchus epistularum	» 173
Index personarum et locorum	» 179

INTRODUCTIO

Hoc praesens volumen, seriei nostrae «Regiomontanae» pars XXXIX, complectitur annos 1565-1566 et continet 208 epistulas Alberti in Prussia ducis, magna ex parte in Cancellaria ducali confectas, cuius rei testes sunt frequentes annotationes sub textu positae: Princeps audit, Princeps audiens consensit et approbavit, vel aliae similes, quas subscriptiones unius vel duorum secretariorum sequuntur.

Tempore illo valetudo ducis Alberti in dies fit deterior, ita ut eum iterum atque iterum de ingravescente aetate sua, affecta valetudine et viribus corporis decrescentibus in epistulis conquerentem offendamus. Ex illis 208 epistulis sexaginta solum ad regem, sex ad reginam Catharinam datae sunt. Ex aliis, ad quos dux Albertus tunc temporis saepius scribere solebat, primo loco nominandi sunt Petrus Myszkowski, Regni Poloniae vicecancellarius, postea episcopus Plocensis, et Eustachius Wołłowicz, Magni Ducatus Lithuaniae curiae marscalcus et thesaurarius.

Quod ad maioris momenti argumenta attinet, quae in scriptis nunc publicatis crebrius tractantur, in non paucis epistulis manifesto apparere perspicimus continuam illam ducis Alberti sollicitudinem atque anxietatem propter occulta consilia et hostiles conatus, quos magnum ducem Moscoviae cum Gulielmo a Fürstenberg, Ordinis Livoniensis olim magistro, et per illum cum toto Ordine Theutonico, contra Regnum Poloniae et Ducatum suum moliri suspicatur. Res etiam Curlandiae ei curae sunt, quam propterea protegere cupit a periculis, ab exercitu post bellum Livonicum confectum in Lithuaniae et Poloniæ revertente illi imminentibus. Diligentem praeterea dat operam, ut matrimonium Gottardi Kettler, ducis Curlandiae, cum Anna Megapolensi ineundum ad effectum perducatur.

Inter epistulas ad Sigismundum Augustum scriptas asservatum est conceptum litterarum, 21.I.1566 datarum, in libro registrorum (Ostpr. Fol.) non relatum, quibus ad litteras regis, 4.I. datas, respondet et defendit ius simultaneae investiturae Ducatus Prussiae, quod ceteris quoque marchionibus Brandenburgensibus competere variis argumentis demonstrare conatur. Aliis litteris, 27.III.1566 datis, regem hortatur, ut tractatibus pacis inter Daniae et Sueciae reges ineundae, qui sub imperatoris pratochinio institui debebant, per oratores suos se adiungat. Litteris vero postero die scriptis a rege petit, ut regi Daniae, cum Suecis bellum gerenti, in auxilium veniat.

Ad res ducis proprias quod attinet, de quibus in epistulis sermo saepius occurrit, imprimis nominandi sunt fere perennes ipsius conatus, ad abrogandum bannum illud imperiale iterum iterumque suscepti, cuius onus grave et molestum a tot iam annis ferre cogebatur. Summo enim tenebatur desiderio liberi transitus per diciones Imperii obtinendi eo, ut ad feuda sua Franconica liberum accessum adhuc ante mortem adipisci posset. Imprimis autem ardenter cupiebat Ducatum Prussiae a molestia proscriptionis vacuum filio suo relinquere. Iterum itaque atque iterum intercessionem hac in re regis et procerum expetit, reginam vero Catharinam, mox ex Polonia discessuram, summo studio obsecrat, ut apud fratrem, Maximilianum II imperatorem, pro se et filio suo intercedere velit, quo auxilio eius accedente hoc banni imperialis fastidio tandem liberentur. In multis praeterea epistulis agitur de morte Gabrielis Tarlo, qui ducem Albertum bonorum suorum heredem testamento constituit.

C.L.

ABBREVIATIONES

El.	Elementa ad Fontium Editiones
H B A	Herzogliches Briefarchiv
M.D.L.	Magnus Ducatus Lithuaniae
Ostpr. Fol.	Ostpreussische Folianten
R.P.	Regnum Poloniae
S.l.	Sine loco

TEXTUS

1565

N. 5817.

S.l., 6.I.1565.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario

scribit ea, quae de machinationibus magni ducis Moscoviae cum magistro Ordinis Theutonicorum nuper ad regem perscripsit, et sententiam suam de eis profert; debiti sui solutionem urget.

(2 schedulae: 1. respondet ad litteras eius, 31.XII.1564 datas, de matrimonio Curlandico, de mutui solutione, de non persoluta sibi a thesaurario Marienburgensi annua pensione; 2. rogat, ut apud regem instet, quo commissarii ad componendam controversiam ducis Curlandiae cum commendatore Doblinensi brevi constituantur, de Comitiis Petricoviensibus certior fieri cupit).

Cfr. El. XXXII, N. 974; El. XLI, N. 1949.

Ostpr. Fol. vol. 57, ff. 217-227 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Vicecancellario Regni Poloniae etc., Petro Miskowski etc., VI
Ianuarii anno etc. LXV^{to}.

Salutem etc.

Quae de rebus Livonicis, summe extremeque hac tempestate periclitantibus, non ita diu ad S. Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, prescripserimus, quid consuluerimus, adeoque pro rei magnitudine ac necessitate hortati simus, ex illis ipsis literis nostris Reverendam Vestram Generositatem arbitramur intellexisse. Etsi autem universis, ad quos ea res aut iam pervenit aut posthac perventura est, fidei nostrae, qua Maiestati eius Regiae devincti sumus, satisfecisse iudicari fortasse possemus, tamen nobis ipsis nondum ita satisfecimus, ut ab incepto, nisi ea, quae pernecessaria nobis videntur, iustum locum invenerint, desistendum esse existimemus.

Pereruntur autem ad nos eadem, quae de practicis Ducis Moschorum¹⁾ cum Magistro Ordinis Teutonici²⁾ cognovisse nos aliquoties S. Regiae Maiestati per literas significavimus, non variis seu discrepantibus quorumcunque hominum rumoribus, sed constantibus magnorum auctorum literis, neque tam ex Livonia quam ex Germania ipsoque Imperio Romano. Quid eadem perferri ad nos scribimus? Imo prioribus istis multis modis periculosiora. Non tantum enim Rex Sueticus³⁾ cum Moschorum Duce ea lege, ut quod uterque hactenus in Livonia occupavit, tranquille pacateque retineat, in septennium industias fertur confecisse, eamque ob rem utrinque certos fines ac terminos aut constitutos iam esse, aut brevi constitutum iri, verum uterque, collatis opibus atque viribus, de subigenda tota reliqua Livonia summa omnium nervorum contentione unice meditari creditur. Utque huic malitioso proposito speciem aliquam honestam plausibilemque obducant, adhibito in consilium Teutonico Magistro, fingere inter sese hanc dicuntur fallaciam, pro commodo Imperii Romani ac Ordinis Teutonici dignitate id fieri. Atque ad confirmandam hanc opinionem ipsum Moschum antiquum Livoniae Magistrum, Furstenbergium⁴⁾, cum lectissimo fortissimoque exercitu ad opprimendam universam Livonię missum, in pristinam restituere dignitatem anniti, imo hunc Furstenbergium iam modo cum ter centum equis Derptam venisse ac sese supremi Russorum Caesaris universae Livoniae Gubernatoris nomine atque titulo venditare populo aiunt, ut vehementer sane metuendum esse non nos solum, sed nobiscum etiam omnes homines, ad quorum aures rumor ille pervenit, magnopere existiment, ne insidiosis hisce artibus afflictissimorum quorunque Livonum et longo iam temporis intervallo omni proxemodum ope atque solatio destitutorum animi, tam ex nobili quam reliquo toto genere, ad perpetuos hostes nostros pertrahantur et mala malis accumulentur.

Hunc metum, non parvum sane, adhuc alias quidem de equite a Gubernatore Danico dimisso, et cum egentissimus sit, de domino, sub quo mereat, valde sollicito, non parum auget. Nam si hic a S. Regia Maiestate, quod proximis literis nostris vehementer dissuasmus, cum amplius stipendum, quam quod equiti Polono datur, non exigat, neglectus fuerit atque ita, ipsa inopia compulsus, ad hostes desciverit, magna rerum adversus eos felicius gerendarum occasio hostibus, exitio nostro inhiantibus, ultro delata esse videri potest.

Omnium autem maximum metum civitas Rigensis, quamquam nobis omnia bona quidem de ea pollicemur deque fide eius minime dubitandum esse putamus, nobis affert. Quam quidem non deformem sponsam cum tot proci, neque illi opibus et potentia prorsus infimi, tanto studio tantoque desiderio ambiant, ut etiam quibuscumque artibus compotes eius fieri et nunc conentur et posthac conaturi videan-

tur, miramur sane maximopere eam, officium S. Regiae Maiestatis absque intermissione fere implorantem, tandem non exaudiri, commissarios ad conficienda transigendaque ea, quae hucusque cum ea confecta transactaque, etsi quidem et in Warschoviensibus et Parczo-viensibus Comitiis⁵⁾ id quam primum futurum esse receptum fuerit, non sunt, nullos mitti.

Horum cum et singula timorem ingentis alicuius mali non exiguum, universa autem amissionis earum rerum, quae recuperari deinde tam facile fortasse non poterunt, metum longe maximum nobis incutiant, rogamus Vestram Reverendam Generositatem peramanter, ut haec tanta pericula S. Maiestati Regiae altius in animum inducat eique, ut in eam curam ac cogitationem, quomodo illis malis mature obviam iri possit, totis viribus incumbat, per commissarios suos, cum plena potentia et necessaria pecunia in Livoniam missos, equitem Danicum recipi et indecisa puncta cum Rigensibus transigi procuret, una nobiscum diligenter persuadeat. Aut si quidem a mittendis commissariis nunc temporis quacunque ratione impeditur, Illustri Duci Curlandico⁶⁾ id oneris imponat, eumque ad conficiendas eas res potestate plena necessariisque sumptibus instruat. Etenim non dubitamus, quin istos labores et qualescumque molestias Illustritas eius, pro sua in S. Regiam Maiestatem singulari fide atque observantia, non invita susceptura remque omnem non minore industria, diligentia ac fidelitate, quam si ex suis aliquem Regia Maiestas eius mitteret, actura, conjectura, transactura sit. Id si fecerit atque efficerit Reverenda Generositas Vestra, praecclare quidem ipsa non minus de S. Maiestate Regia eiusque Regno et ditionibus omnibus, quam de afflictis protritisque Livonibus merebitur, nosque mutua bene merendi voluntate sibi astringet.

Eius autem rei tantam necessitatem esse existimamus, ut si tam nostra, quam S. Regiae Maiestatis res ageretur, etiam huius tantae aetatis et rebus gerendis minime idoneae, nullis opibus nostris, quae quidem exiguae sunt, nullis laboribus, ipsi denique sanguini et vitae nostrae non parcendum esse omnino statuere vellemus. Quanta enim mala utrumvis, sive ipse Moschus sive Ordo Teutonicus rerum Livo-nicarum potiretur, primum Regno Poloniae, deinde reliquis etiam vicinioribus gentibus paritrum esset, Reverenda Generositas Vestra pro sua minime vulgari prudentia non potest non prospicere. Quae quidem omnia, et amoris erga S. Regiam Maiestatem abundantia et ipsarum rerum magnitudine permoti, cum prolixius tum liberius etiam ad Reverendam Generositatem Vestram perscribimus, plane de ea nobis pollicentes eam, ut S. Regia Maiestas id non secus accipiat, pro suo in nos summo studio esse curaturam.

De mutui nostri solutione urgenda, nisi re impetrata desistere non possumus, quod ea cum dignitate atque existimatione nostra

plane coniuncta sit, ideo fere eadem omnium literarum nostrarum est conclusio, ut tandem numerari nobis debitum absque longiore mora contendamus. Cum autem hucusque, quod nostra necessitas exigit, consequuti non simus, adhuc a Reverenda Vestra Generositate etiam atque etiam petimus atque contendimus, ut porro apud S. Regiam Maiestatem nostris verbis ea de re sedulo instare dignetur, quo et nos ingenti hac sollicitudine et S. Regia Maiestas his molestiis aliquando tandem liberetur. Nos sane Reverendae Vestrae Generositati propterea plurimum sumus debituri. Quam Deo immortali diu sospitem conservandam commendamus. Datae etc.

Cancellario⁷⁾ et Canitio⁸⁾ sic placuit
Princeps audiens consensit et approbavit
Enoch Baumgartner

Cedula ad Vicecancellarium (cfr. El. XLI, N. 1945)

Cum has literas iam tabellario tradi iuberemus, perferebantur ad nos literae Reverendae Generositatis Vestrae, ultimo die anni modo praeteriti Petricovii datae, quibus Reverenda Generositas Vstra, qua diligentia et studio tam negotium de matrimonio Curlandico⁹⁾, quam de mutui nostri solutione apud S. Regiam Maiestatem egisset, significabat. Quod utrumque per nobis gratum sane accidit. Non autem diffidimus, quin nostra erga S. Regiam Maiestatem fides atque observantia ita cognita perspectaque Reverendae Vestrae Generositati sit, ut de nostra in ipsam voluntate, qua quidem Maiestati eius Regiae nihil unquam, quod facultatum nostrarum fuit, denegavimus neque etiam in posterum, quantum eius recte fieri et potest et debet, denegatur sumus, dubitare merito non possit. Quod autem nunc in exigendo mutuo fere modum (quod ipsimet sane et agnoscimus et ingenue fatemur) excedimus, id extrema necessitate compulso facere Reverendam Generositatem Vestram plane sibi persuadere vellemus. Etenim alias nunquam plures creditores uno tamque difficulti tempore, paribus aerarii nostri angustiis, maiorem pecuniarum vim a nobis exigere meminimus, ut sane ea re animus noster vehementissime perturbetur. Destituimur nanque omni omnium ope atque consilio, neque etiamsi magno ac propemodum iniquo faenere versuram facere vellemus, hac tempestate, propter pestem longe periculosisima, et omni fere negotiatione ubique locorum impedita, insiginem aliquam pecuniae summam, quantam creditorum nostrorum multitudine postulat, conficere possemus.

Itaque S. Maiestas Regia hanc, uti videri potest, importunitatem non nobis, sed temporis omnino tribuet et nos hac gravissima cura, quam pro existimatione nostra hoc ipso in negotio, vehementer ad-

modum periclitante, gerimus, aliquando tandem liberabit, nos qui-
dem eo impetrato ex immenso pelago, duce Reverenda Vestra Gene-
rositate, enatasse nobis videbimur.

Annuam quoque pensionem nostram a Thesaurario Marienburgensi¹⁰⁾ anno elapso, licet scripto decreto id iniunctum ei fuerit, non accepimus, quod is pariter thesauri tenuitatem praetenderit. Cum autem festum Paschatis, quo ea pensio bis nobis debebitur, nunc vicissim appropinquet, et ipsa quoque pecunia ad sublevandam no-
stram sollicitudinem aliquid facere queat, petimus a Reverenda Ge-
nerositate Vestra amanter, ut hoc quoque effectum nobis reddat, ut
hae duae pensiones annuae una cum reliqua summa nobis numeren-
tur. Nam Thesaurarius Marienburgensis de thesauri angustiis etiam
atque etiam queritur, ut difficulter ab eo stipendia nostra nos acceptu-
ros existimemus. Aut siquidem aliunde numerari illae pensiones non
poterunt, eiusmodi nobis decretum, quod eam, ut pecuniam nostram
iusto tempore certo accipiamus, vim habeat, mitti nobis percupimus.
Quae quidem omnia a Reverenda Generositate Vestra confecta nobis
maiorem in modum erunt accepta et grata, et nos Reverendae Gene-
rositati Vestrae operam vicissim nostram nulla in re defutaram amice
recipimus. Datae ut in literis etc.

Commissio Principis referente Cancellario,
idem audivit etc.
Enoch Baumgartner

Alia cedula iisdem literis iniecta

Quae Illustri Duci Curlandiae¹¹⁾ iam dudum cum Commendatore
Doblinensi¹²⁾ intercedat contentio, Reverendae Generositati Vestrae
optime constat. Ea cum eiusmodi plane sit, ut ingentes illas Reipubli-
cae Livoniensis turbas, quibus ea mirum in modum vexatur, nisi
diadicata compositaque propediem fuerit, non parum augere [pos-
sit], rogamus Reverendam Vestram Generositatem diligenter, velit
et hoc negotium apud S. Regiam Maiestatem intercessione sua sedulo
adiuvare, quo tandem commissarii regii ad cognoscendam compo-
nendamque eam controversiam brevi constituantur. Ad ipsum qui-
dem Ducem Curlandiae hoc allatum esse audivimus, S. Regiam Maie-
statem Commendatoris Doblinensis qualiacunque privilegia
auctoritate sua aut confirmasse iam, aut confirmare constituisse.
Quare cum disceptationi componendae (siquidem ita sese, quod nobis
persuadere non possumus, res habeat) non satis dextre consultum
fore arbitremur, pari modo quaesumus, ut Reverenda Generositas
Vestra opera atque autoritate sua efficiat, ne huiusmodi confirmatio
scribatur, aut – si iam scripta est – quacunque ratione vicissim impe-

datur, ne Dux Curlandicus, cuius certe rationem haberi maxime convenit, impatientia victus id fortasse contra Commendatorem attentet, quod ad quietis et tranquillitatis in Livonia instaurationem parum esset profuturum. In quo procurando de Reverenda Generositatis Vestrae summo studio nihil prorsus dubitamus, quemadmodum neque de Ducis Curlandici, rebus illius paulo melius comparatis, erga ipsam gratitudine.

De Comitiis Petricoviensibus¹³⁾ certiores fieri percupimus, num tempore statuto certo futura sint, ut legatos nostros mittere ad ea mature possimus. Et si sunt quidem futura, faciet Reverenda Generositas Vestra rem nobis gratam, si cum illis, penes quos conferendorum hospitiorum potestas est, egerit, ut legati nostri locum aliquem commodiorem inveniant. Id mutuis officiis sumus compensaturi. Datae ut in literis etc.

Fridericus Canitzius audivit
Enoch Baumgartner

- 1) *Ioannes IV Basilides.*
- 2) *Volfgangus Schutzbar.*
- 3) *Ericus XIV.*
- 4) *Gulielmus a Fürstenberg.*
- 5) *Comitia Varsaviensia a 22.XI.1563 ad 1.IV.1564, Parczoviensia a 24.VI. ad 12.VIII.1564 celebrata erant.*
- 6) *Gottardus Kettler.*
- 7) *Ioannes a Kreitzen.*
- 8) *Fridericus a Kanitz, consiliarius ducis Alberti.*
- 9) *agitur scil. de negotio matrimonii Gotuardi ducis Curlandiae cum Anna, filia Alberti VII ducis Megapolensis.*
- 10) *Ioannes Kostka, cast. Gedanensis.*
- 11) *vide n. 6.*
- 12) *Matthias Reck.*
- 13) *a 18.I ad 14.IV.1565 celebrata sunt.*

N. 5818.

S.l., 8.I.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
respondet ad litteras regias, ante aliquot menses ad se datas, quibus
postulabatur, ut Ioanni Działyński, palatino Culmensi, a subdito
ducis, Theophilo a Polentz, capitaneo in Schönberg, gravi iniuria
affecto, iustitia administraretur, neve audacia subditi ducis inulta
relinqueretur.*

Cfr. EL. XXXII, N. 963.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 227-234 (et Conc., H B A, B, K. 1118).

Regi Poloniae, VIII Ianuarii, anno etc. LXV.

Redditae sunt mihi uno abhinc ferme mense S. Regiae Vestrae Maiestatis Knissini XIIIII Septembris datae ad me literae, quibus S. Regia Maiestas Vestra et quidnam de vi sibi illata a subdito meo cognomine Schimbarski¹⁾ Magnificus Iohannes Dzialinski, Palatinus Culmensis, questus fuerit, commemorat, et ne inultam eam subditi mei audaciam sinam, verum ut Magnifico Palatino ius suum reddam, etiam atque etiam hortatur. Huic S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntati parendum mihi omnino esse existimarem, nisi viderem non satis plena Palatini narratione S. Regiam Maiestatem Vestram inductam, ut mandatum tam serum ad me perscriberet. Verum cum multis in rebus longe aliter se res habeat, nec tam meorum subditorum quam ipsiusmet Palatini sit accusanda violentia, faciendum duxi, ut tota de re paulo accuratius, quam fieri tamen poterit breviter, S. Regiam Maiestatem Vestram faciam certiorem.

Veteribus monumentis, quae etiam nunc apud me supersunt, consignatum est de lacu tunc quoque controverso²⁾ (quo adhuc tempore Ordo Marianorum fratribus universam tenebat Prussiam) litem diuturnam fuisse Episcopo Pomesaniensi, qui totum sibi lacum vendicabat, cum suo Capitulo. Ea lis arbitris fratribus Marianis ita est dirempta, ut totus is lacus in ditione et potestate Capituli perpetuo iure maneret. Ab eo tempore longe ultra hominum memoriam, et proprietas et usus eius lacus penes Capitulum, meque ipsum aliquadiu, patremque eius, qui nunc possidet subditi mei, cui cum aliis bonis lacum hunc contuleram, nullo turbante fuit quietus, donec non ita multis abhinc annis pater³⁾ primum praefati Magnifici Palatini legitime possidentem non legitime in possessione sua turbare aggressus est, nullo alio praetextu, nisi quod flumen Ossam, quod lacus iste et recipit et emitit, ditionem meam a terra Culmensi distingueat, eamque ob causam medium lacum ad Culmensem tractum pertinere dictitabat. Successit ei filius, Palatinus hic, qui longe impotenter in hoc negotio se gessit, multisque violenti animi sui editis exemplis, id tantum efficere conatus est, ut possessione medii lacus subditum meum quo iure qua-ve iniuria exturbaret.

Nec se ab hoc instituto vel saepius repetitis S. Regiae Maiestatis Vestrae mandatis, vel scriptis etiam a me compluribus monitoriis literis dimoveri passus est, sed tametsi res iam in iudicium deducta esset, ut tamen et ipse possidere, aut certe beneficium possessionis alteri concedere nunquam voluisse videretur, his praesertim proximis annis piscanti ac possessione sua longaeva et quieta utenti subdito meo praeter fas et aequum vim intentavit. Ac inter cetera hieme praeterlapsa non praeter consuetudinem, ut Palatinus asserit, sed pro iure suo piscare volenti retia et piscatorem (quod et ipse, ut ex

literis S. Regiae Maiestatis Vestrae appareat, diffiteri ausus non est) vi publica usus intercepit. Quam id factum iuri et aequitati conveniat, quam sit ab omni humanitate et vicini officio alienum, nolo hic pluribus excutere. Certe quoniam de hoc negotio in iudicio iam disceptabatur, exitum litis expectare, non sibi ipsi ius dicendi in propria causa potestatem, converso aut everso potius iuris ordine, sumere debebat, idque eo minus, quod ipse petitor atque alieni iuris turbator erat. Id quidem nullo pudore petere potest, ut sequestratio lacus fiat, cum nec ipse unquam possederit, nec ulla iusta causa subsit, quae sequestracionem alioquin legibus interdictam suadeat. Quod si in ea est sententia, ut ad interrumpendam possessionem sufficere credat, si vis adhibeat, haud scio, cuius sit prudentiae existimare turbatione sola muniam longaeva praescriptione atque adeo hominum memoriam exce- dente possessione interrumpi aut everti posse. *Enimvero* si etiam detur subditum meum nullo iure nixum id, quod alterius erat, vendicare sibi voluisse, satis erat Palatino piscari conantem prohibere, non etiam retia cum piscatoribus (quod in vim publicam iam cadit et legitimae defensionis modum egreditur) intercipere, praesertim cum qui armati resisterent, nulli tum adessent.

Ea vero iniuria subditus meus graviter commotus non ex inter- vallo, sed in continenti, non inferenda, sed repellenda iniuria, non aliena appetendi, sed suum recuperandi gratia aggressores est perse- cutus. Qua in re an inculpatae tutelae moderamen (quod leges servari iubent, hic se servasse affirmat) excesserit, non est nunc meum statuere. Quamquam quod ad me attinet, maluissem ipsum patientia potius iniuriae acerbitudinem superasse, quam summo iure utentem adversario huiusmodi adminicula causae sua, alioquin haud satis firmae, avide arripieni qualemcumque queritandi occasionem praebere.

Quod si quid tamen ab ipso quoque peccatum est, in pari certe et compensationem admittente uterque erit culpa, aut etiam Palatinus in maiore, eo quod ipse his tumultibus initium et causam praebuerit, in quem tanquam autorem secundum leges redundant omnes, si quae po- stea turbae subsecutae fuerint. Si vero Palatinus iustum se causam adver- sus subditum meum accusationem instituendi habere putat, licebit id ipsi vel per se vel per procuratorem legitimo modo facere. Quod ubi factum fuerit, decernetur id a me, quod iuris et aequitatis ratio postularit, modo ante Palatinus de vi prius a se facta iudicium non recuset.

Nam quod Palatinus affirmavit ita inter partes convenisse, ut cognitio totius causae ad S. Regiam Maiestatem Vestram remittere- tur, id quemadmodum sese habeat, paucis referam. Subditus meus Theophilus a Polentz, quem ipse Schimbarski vocat, cum possessorio interdicto tueri se causamque extrahere posset, non detrectavit tamen de proprietate iudicium, causae fisus bonitate et diuturnitatem litis vitans. Itaque post multas Palatini tergiversationes, tandem eo res

est deducta, ut commissariis, tam a S. Regia Vestra Maiestate, quam a me secundum pacta deputatis, nihil aliud agendum superesset, nisi ut totam controversiam sententia definitiva dirimerent. Verum ii, odium alterius partis declinantes, non quidem consultis partibus, sed inito inter se consilio S. Regiae Maiestati Vestrae, invidiae non ita obnoxiae, extremam cognitionem deferre maluerunt. Cuius rei cum a me commissariis meis non data esset potestas, sed id tantum mandatum, ut pro tenore pactorum una cum S. Regiae Maiestatis Vestrae commissariis litem definitive deciderent, mandati fines excedere ut non debuerunt, ita nec potuerunt.

Quam ob rem statim tum factum id, tanquam pactis conventis contrarium, improbavi atque a S. Regia Vestra Maiestate demisse petii, ut quoniam contra quam pactis continetur ac praeter voluntatem et mandatum meum diiudicatio causae huius ad S. Regiam Vestram Maiestatem esset reiecta, S. Regia Vestra Maiestas dignaretur denuo commissarios designare, qui meis ex vi pactorum adjuncti de hoc negotio controverso cognoscerent.

Huic meae petitioni, tanquam summa aequitate subnixae, S. Regia Maiestas Vestra clementer assensa est, irritumque habuit decretum illud commissariorum veluti pactis adversum, aliosque substituere commissarios voluit, qui S. Regiae Maiestatis Vestrae nomine una cum meis diiudicationi litigiosi huius negotii vacarent. Verum per quem hactenus id steterit, non libet hic commemorare, id vero affirmare possum per me meosque non stetisse. Quae cum ita se habeant, verendumque sit, ne haec controversia magnas aliquando turbas pariat, nisi mature sopiaatur, etiam atque etiam S. Regiam Maiestatem Vestram himiliter oro, ut ea quam primum commissarios constituere dignetur, qui pro vigore pactorum cum iis, quos ego adiunxero, liti tam diurnae nec minus periculosae finem tandem imponant, in primis vero quo S. Regia Vestra Maiestas Palatino Culmensi severe iniungat, ne is subdito meo piscanti vim faciat, aut iure suo quoquomodo prohibeat, idque sub poena amissionis universi eius iuris, quod in controversa parte lacus habere se putat, donec res tota legitime decidatur. Eius autem mandati literas ut per hunc tabellarium S. Regia Vestra Maiestas ad me transmittat, S. Regiam Maiestatem Vestram reverenter rogatam volo. Qua in re S. Regia Maiestas Vestra et aequissimi Regis officio satisficerit et multis incommodis ansam praeciderit. Tum vero si quid a me proficiisci poterit, in quo gratitudo animi mei quam maxime elucere queat, efficiam, ut S. Regia Maiestas Vestra eximium in eo studium et observantiam erga se meam liquido perspiciat. Datae etc.

Fridericus ab Aulaken

- 1) *Theophilus a Polentz, cap. in Schönberg.* 3) *Nicolaus Działyński, pal. Pomeraniae*
2) *sermo est de lacu Traupel (cfr. EL.LX-* (\dagger 1545).
XIII, N. 202).

N. 5819.

Poppen, 8.I.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi, et Nicolao Łaski, R.P. incisori,
capitaneo Marienburgensi,
nuntiat se ab Augusto electore Saxoniae rogatum esse, ut aliquot bonos
et citatos equos, venationibus aptos, ipsi suppeditandos curaret;
petit itaque, ut – cum ipse eiusmodi equis omnino careat – sibi
verendum vel alium id genus equum velociter currentem, etiam caro
pretio, si opus fuerit, comparare et mittere velint.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 164r-v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5820.

Poppen, 18.I.1565.

Albertus dux in Prussia

*Job Breitfuss (Prayefuess), architecto et armifactori regio,
notum facit se litteras eius, varia nova continentes, i.a. de arce Jezie-
rzyszcze a Moscis expugnata, accepisse et regem per litteras immi-
nentis inde periculi diligenter admonuisse; pro novitatibus gratias
agit et poscit, ut etiam in posterum saepe scribat et nova significet;
rogat, ut regio venationum magistro pro cornibus sibi missis gratias
agat.*

Cfr. El. XLV, N. 178.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 164v-165v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An Hiob Braiftussen, den 18 Januarii anno 65, datum Poppen.

Wir haben ewer schreiben bey zeigern ihren diener, zu Wolcke-nick den 1 Januarii dieses angengangens 65^{sten} jhares datirt, empfan-gen, inhalts lesende eingenommen und daraus allerley zeitungen und besorgliche gefehrlichkeiten, zudem auch von eurem diener allerley und welcher gestsalt die Oseritzsa¹⁾ durch den Muscowitter einge-nommen und das ehr seinen fues weiter zu setzen und die ko.mt. zu Polann, unsern g. hern, zu überziehen und mit seiner gewalt und tiranney heimzusuchen vorhabens sein solle, und wes des mehr, wel-

ches wier alhie weitleuftig zu wiederholen unnötig achten, auch wes ihr uns desfals an ko.mt. hochstgemelt zu schreiben dinstlich erinnert, eingenommen und vorstanden.

Ob nun woll diese zeitungen, davon uns auch sonst allerley zukhompt, sehr erschrecklich, nicht in windt zu schlagen, sondern hochstes aufsehen vonnoten und allen unheil in zeiten vorzutragen, sehen wir doch leider, dass weniger ernst darzu gethan. Bitten aber Gott, das ehr das hertz ko.mt. gnedigst wolle erleuchten, damit sie die gefahr erkennen und mit ernst dem vorstehenden grossen ubel begegnen mogen. Haben auch derwegen algereit an ire ko.mt. geschrieben und sie deshalb mit höchstem vleiss ernstlich aufsehen zu pflegen ermahnet. Gott gebe, das es frucht und stadt haben möge. Was wier auch noch ferner mit raten, vormahnen und anhalten darzu helfen und thun khönnen, geschicht billich und gerne.

Bedancken uns mit gnaden fur beschehene mitteylung mit angehaftem gnedigem begeren, ir wollet uns oft durch ewer schreiben ersuchen und wess ihr iederzeit erfahret, sonderlich was uns zu wissen vonnoten, mittehaftig machen. Das uberschickte gewey vom ko.jegermeister haben wier bekommnen. Sagen euch dafur danckh und begeren gnedigst, ihr wollet unbeschwert dem koniglichen jegermeister in unserm nahmen auch dafur dancken und ferner bey ihme anhalten, do ehr etwas stadlichers bekhemme, das ehr uns damit bedencken wolte. Das seint wier in gnadem etc.

D[avid] Gercke

- 1) *Jezierzyszcze (Ozieriszcze), arx prope Vitebscum.*

N. 5821.

S.l., 29.I.1565.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

*rogat, ut – antequam internuntios suos ad Comitia Regni Petricoviensia
mittat – aliquid certius de iisdem Comitiis sibi perscribat; mittit
duas epistulas ad Christophorum ducem Megapolensem datas,
unam suam, alteram sororis eiusdem ducis Annae, “de matrimonio
Curlandico” scriptas, et rogat, ut sciente rege ad eundem ducem
perferantur, “ut negotium Curlanicum tanto melius conficiatur”; de periculis ex Moscovia et Ordine Theutonico Livoniae immi-
nentibus eum admonet.*

Cfr. El. XLI, N. 1952

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 238-241 (et Conc., H B A, K. 1188).

Vicecancellario Regni Poloniae, XXIX Ianuarii anno MDLXV^{a)}.
Salutem et benevolentiam nostram.
Reverende ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Statutum quidem de legatis ad Comitia Petricoviae futura ¹⁾ mittendis apud nos habemus, verum tam varii tamque discrepantes ad nos de iisdem Comitiis rumores perferuntur, ut quid in tanta varietate credendum faciendumque sit, paene subdubitamus. Alii enim prorsus nullum Conventum generale, alii non Petricoviae, sed alibi futurum esse asseverant. Ne autem nostri internuntii vel nimis mature, vel sero nimis, aut etiam prorsus frustra itineri sese dent, petimus a Reverenda Vestra Generositate peramanter, ut de Comitiis aliquid certius, ad quod consilia nostra tuto dirigere possimus, ad nos perscribat.

Mittimus etiam Reverendae Generositati Vestrae duas epistolas ad Illustrem Dominum Christophorum Ducem Megapolensem. Quarum una nostra est, qua Illustratatem eius in hoc statu aliquanto tristiore invisere et consolari voluimus. Altera Ducissa Megapolensis virgo, soror Illustritatis eius²⁾, de matrimonio Curlandico³⁾ (cuius in nostris etiam literis facimus mentionem) ad Illustratatem eius prescribit. Cum itaque nihil prorsus in illis contineatur, quod vel S. Regiae Maiestati Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, vel cuiquam hominum suspicionem aliquam movere merito possit, neque nos etiam per fidem nostram, S. Maiestati Regiae hucusque integre praestitam, eiusmodi aliquam rem moliri videri ulli debeamus, aequis precibus Reverendam Vestram Generositatem rogamus, ut sciente et libente S. Regia Maiestate eae literae ad Ducem Christophorum perferantur, idque propterea, ut negotium Curlanicum tanto melius conficiatur. Non enim non videt Reverenda Generositas Vestra permultum sane referre, ne quid Illustritate eius inscia in eo transigatur. Si quid etiam forte Illustritas eius respondere voluerit, faciet Reverenda Generositas Vestra rem nobis pergratam, si literas Illustritatis eius ad nos perferri curarit.

Hoc adhuc necessario addendum esse putavimus, non latere Reverendam Vestram Generositatem, quid de rebus Livonicis et quam rem Moschus⁴⁾ per Furstenbergium⁵⁾ moliatur, quidque de inusitata praesidiorum Lithuaniae tyrannide, qua cum hostibus non certare solummodo, verum etiam ipsos iam superare feruntur, cognovisse nos saepissime scripserimus. Ista omnia etiam nunc constanti sermone et magnorum auctorum literis ita cognoscimus, ut malum istud ingens, quod ex iis proventurum est, p[ro]ae oculis quodammodo videamus. Quem enim finem istius prorsus hostilis ferociae praesidiorum fore putabimus, dum non solum innumerabilibus minimeque feren- dis molestiis illos, ad quorum defensionem missa esse arbitrantur,

afficiunt, sed etiam ipsas regiorum subditorum arces hostiliter invadunt, diripiunt, caedes nefandas faciunt ac multos denique, ne tam cito per mortem tantis calamitatibus extremisque miseriis eripiantur, captivos, ut absque spe maturae alicuius liberationis perpetuo excrucientur, abducunt? Aut quid ista nova decreta tam de rerum ad victimum pertinentium et praesidiis regiis advehendarum iniqua aestimatione, quam de operis ab iis hominibus, qui nonnullis propter singularia quaedam merita ipsorum a S. Regia Maiestate concessi sunt, non iis, quibus concessi sunt, sed aliis regiis arcibus praestandis suspicabimur? Iudicet ipsa Reverenda Generositas Vestra quaesumus, an istae causae leviores sint, quam ut ipsos Livones volentes nolentes adigere et impellere ad defectionem possint. Deinde hoc etiam pie secum consideret, an non Deus, qui vindicem habet oculum, ob eam crudelitatem minus felices adversus hostem largiatur successus. Quam ob rem Reverendam Vestram Generositatem etiam atque etiam oramus, ut apud S. Regiam Maiestatem, ut tantis periculis iam iam obviam eatur, quanto potest maximo studio, adiuvare velit. Nos quidem neque monendo, neque quacunque alia re defuisse officio nostro nobis videmur. Reverenda Generositas Vestra prospere valeat. Datae etc.

Enoch Baumgartner

- a) *in ms. MDLXVII (in Conc. 1565).*
- 1) *a 18.I. ad 14.IV.1565 Petricoviae celebra.*
- 2) *Anna, futura uxor Gottardi Kettler, ducis Curlandiae.*
- 3) *scil. Gottardi ducis Curlandiae cum Anna ducissa Megapolensi, filia Alberti VII.*
- 4) *Ioannes IV Basilides, m. dux Moscoviae.*
- 5) *Gulielmus a Fürstenberg, magister olim Ordinis Livoniensis.*

N. 5822.

S.l., 30.I.1565.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Augustynowicz, marscalco regio, capitaneo «Vyesseyanensi» [in Wieszwiany?],

litteras eius, quibus de praefecto Grobinensi questus erat, se accepisse nuntiat et respondet se eidem praefecto scripsisse, «ut sese continat, neminem iniuria afficiat, sed omnes actiones suas ad foedera et pacta communia dirigat».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 241-243 (et Conc., H B A, K. 1188).

Poppen, 5.II.1565.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Łaski, R.P. incisori, capitaneo Marienburgensi,
pro subdito suo Eustachio ab Oelsen, qui satelliti regii munere («dra-
bandt») fungitur, nunc autem exteris regiones visitare et res novas
discere cupiens, ad imperatorem se conferre et sub eo adversus
nominis christiani hostes, Turcas, pugnare intendit, intercedit et
rogat, ut ipsum regi diligenter commendet, quo ab officio liberetur
et clementer dimittatur.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 165v-166 (et Conc., H B A, K. 1188).

S.l., 10.II.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wołowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
queritur de subdito quodam eius, qui subditum suum, oppidi Nowa
Wola incolam, gravi iniuria affecit et vulneravit, et rogit, ut subdito
suo iustitiam administrari iubeat; similiter queritur de Iudeais,
Jurborgensis aut Nowawolensis telonei praefectis, homines suos
hypothecarios nova exactione prementibus.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 245-247 (et Conc., H B A, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice nobis sincere dilecte.

Significavit nobis Capitaneus noster Jurborgensis quendam Magnificentiae Vestrae servitorem, qui bona eiusdem non procul ab oppido Nowawola sita tenet, subditum quendam dicti oppidi, sine aliqua occasione ad hoc data, ex mera petulantia invasisse, graviterque vulnerato quinquaginta sexagenas pecuniae accepisse. Quae res cum ab aequitate sit alienissima, nosque connivere minime conveniat, ut homines nostri hipotecarii ita tractentur, amice Magnificentiam Vestram oratam habemus, ut in servitorem suum patratae vulnerabilityis nomine animadvertat raptamque pecuniam vulnerato sine mora aliqua reddi iubeat, ne facinus illud impunitum relinquitur.

Ad haec ex eodem Capitaneo nostro cognovimus Iudeos, qui Jurborgensi aut Nowawolensi theoloneo praesunt, homines nostros hipotecarios nova exactione premere. Exigunt enim ab iis theloneum, pobor nuncupatum, etiam a sale rebusque aliis, pro domestica necessitate ipsorum emptis. Cum tamen theloneum pobor, sicut ad nos relatum est, de iis tantum mercibus et rebus dari constitutum sit, quae ita emuntur, ut revendantur, hoc gravamine ut liberos esse Jurborgenses et Nowawolenses Magnificentia Vestra curet, amanter quoque petimus. Literae enim hypothecariae S. Regiae Maiestatis nobis datae illis tale onus non imponunt, sed ad generalem totius Magni Ducatus contributionem eos obligant. Factura nobis Magnificentia Vestra rem gratam et aequitati maxime respondentem, quam nos amanter quoque erga Magnificentiam Vestram compensare studebimus. Quod superest, rectissime Magnificentiam Vestram valere optamus. Datae.

In folio separato: Eustachio Wolowitz, 10 die Februarii 1565.

N. 5825.

Poppen, 11.II.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Woltowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
de vi et iniuriis a teloneario Garsdensi et Crettingensi subditis suis illatis
queritur et rogat, ut pro potestate sibi in praefectos regios concessa,
eundem telonearium Crettingensem et alios in officio contineat,
ne subditi vicissim sui simili modo vim et iniurias repellere co-
gantur.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 247-249 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice syncere nobis dilecte.

Ex proximis Magnificentiae Vestrae literis, XI die Decembris anni praeteriti datis, intelleximus Magnificentiam Vestram nihil magis cupere, quam ut thelonarii regii vetustis consuetudinibus sese accommodent atque ante omnia, ut ne per ipsos bona et tranquilla vicinitas turbetur, studeant. Ea sane Magnificentiae Vestrae voluntas ut per sese laude digna est, ita nobis cognitu fuit gratissima. Quapropter etiam ad Capitaneum nostrum Ragnetensem, ut et de incuriosis Magnificentiam Vestram certiorem faciat et boves nuper interceptos aliquandiu adhuc retineat, perscripsimus. Interim autem a Capitaneo nostro Memelensi de thelonario Garsdensi querelae gravissimae

ad nos perferuntur, quod nimirum is quandam subditum nostrum intra fines nostri Ducatus captum vique abductum, oblitus prorsus omnis humanitatis, nullo iure suspendio multctarit bovesque numero novem thelonium praeter actos et ipsos quoque sub iurisdictione nostra deprehensos omnes abduxerit, quos Reinholdus Cracau, Palangensis, Crettingensis Garsdensisque Capitaneus, donec de eo negotio transigeretur, reservare apud se voluit. Deinde alias quidam thelonarius Crettingensis pari audacia aliquot Samogitas boves agentes ultra dimidium fere miliare in nostra ditione insecutus, sex boves ipsis accepit atque eos quoque omnes abegit, sed et hos Reinholdus Cracau ad se recepit.

Idem thelonarius Crettingensis nuper etiam cuidam subdito nostro equum, quem servo suo, qui antea in Samogitia serviverat suamque supellectilem apud pristinum herum reliquerat, ad afferendas res relictas usui dederat, servum in Ducatu nostro usque ad praedium rustici insecutus, cum allata supellectile eo praetextu abstulit, quod servus in theloneo se non esset professus, cum tamen id non petulanter, sed ignoratione a servo commissum fuerit. Et quanquam Capitaneus noster de reddendo equo apud thelonarios sollicitarit seque unicuique, qui adversus eum servum de quacunque re agere posse se existimaret, ius dictorum promiserit, nihil tamen hucusque proficit. Quarum rerum prima cum detestandam quandam inhumanitatem, subsequentes vero animos a pace et tranquillitate publica haud mediocriter abhorrentes arguant, rogamus Vestram Magnificentiam vehementer, ut pro imperio suo, quod in eos homines a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, habet, in officio ipsos contineat, ne tam ferociter in subditos nostros saevire, neque temere in fines nostros irruere ac pro libitu quidlibet rapere et abigere ausint. Nisi enim posthac pactorum et antiquarum consuetudinum observantiores pacisque et otii publici studiosiores futuri essent, subveremur sane, ne nostri vicissim subditi eas repellendarum iniuriarum rationes inire cogantur, quae nec nobis forent ineundae nec vim exercentibus salutares aut utiles. Quod Magnificentiam Vestram facturam, et ut nobis deprehensorum boum, qui apud praefectum Palangensem sunt, dimidiis numerus cedat et subdito nostro equus ablatus restituatur, procuraturam esse nihil prorsus dubitamus. Nos quidem nihil, quod ad communem tranquillitatem tuendam pertinet, praetermittemus. Magnificentia Vestra prospere valeat. Datae.

Princeps et Cancellarius¹⁾ audiverunt

In folio separato: Ostaphio Volowitz, 11 Februarii anno etc. 65.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5826.

S.l. 23.II.1565.

*Albertus dux in Prussia
proconsuli et consulibus civitatis Biskupicensis («Biscupiczensis»)
pro subdita sua Anna Olszeńska («a paterno vero nomine Kapcowna
appellata»), hereditatis suae paternae et maternae partem in civita-
te eorum adhuc habente, intercedit et rogat, ut plenipotenti eius
adiutores esse velint, quo dictam hereditatem non laboriose conse-
quatur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 250. (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5827.

Poppen, 23.II.1565.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Dorohostajski, cognomine Kuchmistrzowicz (Kochmistro-
witz), tenutario Velonensi, capitaneo Wołkowysensi,
intercedit pro subdito quodam suo, cuius negotium ex incluso supplici
libello cognoscere poterit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 251. (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5828.

Poppen, 4.III.1565.

*Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
litteras eius de Comitiis Regni et de responso ducis Curlandiae, si quod
fuerit, sibi mittendo se accepisse nuntiat; certiorerm eum reddit de
mercatoribus quibusdam Germanis per Livoniam in Moscoviam
merces fraudulenter importantibus; suadet, ut eiusmodi mercatores
accurate animadvertantur, ne communi hosti vires impune suppe-
ditent; rogat, ut apud regem efficiat, quo praefecti regii in Livonia
in eam rem attendant, ne «eius farinae homines» per praefecturas
suas iter facere patientur.*

Cfr. El. XLI, N. 1952

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 251-254 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Petro Miskowski, IIII^{ta} Martii anno etc. LXV^{to}, ex castro
Poppensi.

Literas Reverendae Generositatis Vestrae, XIX die praeteriti
mensis Februarii Petricoviae datas, accepimus. Ac quod primum qui-
dem Comitia Regni et oratorum nostrorum missionem attinet, in eo
consilium nostrum ipsi tempori sumus accommodaturi. Responsum
Domini Christophori Ducis Megapolensis etc., si quid ab Illustritate
eius rescriptum fuerit, Reverendam Vestram Generositatem nobis
missuram esse, per nobis gratum est. Multo autem gratissimum,
quod Reverenda Vestra Generositas ea, quae de imminentibus Livo-
niae periculis ad illam perscripsimus, in optimam accepit partem,
seque ad res istas providendas S. Maiestatem Regiam etc., Dominum
nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, sedulo solli-
citaturam esse pollicetur. Dominus Deus consilia Reverendae Vestrae
Generositatis clementer fortunet.

Verum dum haec ita scribi iubemus, perfertur ad nos ab homini-
bus fide dignis, a multis Superioris Germaniae negotiatoribus impor-
tatione quarundam mercium per Livoniam in Moscoviam fraudem
maximam committi, communique hosti vires adversus Maiestatem
Regiam suppeditari. Quae sane res accurata animadversione indiget,
ut ne impune eiusmodi mercatores transire ad hostem possint. Scrip-
simus quidem de eo ad Illustrem Ducem Curlanicum¹⁾ quam potui-
mus diligentissime, neque spem dubiam nobis facimus, quin Illustri-
tas eius de ratione intercipiendi comprehendique eos, qui huiusmodi
aliquid tentare ausi fuerint, toto animo sit cogitatura.

Ceterum cum ut pari diligentia in id cuncti quoque praefecti in
Livonia regii (quorum aliqui largitionibus corrupti cum istiusmodi
mercatoribus colludere transitumque ipsis permittere dicuntur) ad-
vigilent necessum sit, rogamus Reverendam Generositatem Vestram
amicc, velit apud Maiestatem Regiam efficere, ut et ipsi in eam rem
attendant, ne quenquam hominum eius farinae per commissas sibi
praefecturas iter facere patientur. Si quis secus fecerit, ut in eum,
quemadmodum etiam in illos, qui merces aliquas hosti asportare
conabuntur, quod aequum est statuatur. Gedanensibus etiam, qui
aestate praeterita ab importatione mercium in Sueciam non absti-
nuerunt, navigandi facultate, occluso iam freto Danico, severe inter-
dicendum, eamque in rem, ne quis eorum ad minimum ante Penteco-
stes festum solvere ausit, graviter animadvertendum est. Hac enim
ratione hostem Suecum, sale, lupulo pannoque magnopere egentem,
nonnihil compesci posse existimamus. Quae si superiore aestate inita
fuisset, finem istius belli fortasse iam vidisemus. In primis autem
operae pretium Maiestas Regia factura est, si Gedanensibus, freti
Danici reserationem summo studio urgentibus, ne per quaecunque

media, quod cupiunt, impetrent, restiterit. Atque haec sunt, quae hoc tempore ad Reverendam Generositatem Vestram scribere voluimus. Quam protectioni divinae commendamus. Datae etc.

Commissio Principis per Cancellarium²⁾
Princeps eodem praesente audivit
Enoch Baumgartner

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5829.

Poppen, 10.III.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,
litteras eius per praesentium exhibitem, subditum suum Ioannem
Steiffel, sibi redditas esse nuntiat et pro animo in se propenso ei
gratias agit; eundem subditum suum Ioannem Steiffel ipsi com-
mendat et rogat, ut negotium eius apud regem ita promoveat, quo
pro multis et gravibus iniuriis ei a quodam senatore Cracoviensi
nulla causa illatis («fur die durch gewalt ihm one einige ursa-
chung zugefugten iniurien, vorwundung, schaden, ufgewandten
uncosten, erlittenen straff im gefengknus, vorseumnus seiner
hendel und wess dess mehr») iustitia fiat (cfr. N. seq.).*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 166r-v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5830.

Poppen, 11.III.1565.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro subdito suo Ioanne Steiffel, a senatore Cracoviensi Erasmo Czeczot-
ka gravissimis iniuriis affecto, cuius innocentiae testimonium Sta-
nislaus Barzi et Ioannes Dulski perhibuerunt, intercedit.*

Cfr. El. XLI, N. 1955.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 254-255 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Venit hisce diebus ad me subditus et servitor meus, fidelis mihi dilectus Iohannes Steiffel, de illatis sibi a quodam cive et senatore Cracoviensi, Erasmo Czetzothka¹⁾ nuncupato, insignibus admodum

iniuriis gravissime et dolendis plane modis conquerens. Qui Czetzothka hospitium eius violenter cum lictoribus ingressus, ipsum multis verberibus atque vulneribus etiam satis inhumaniter crudeliterque tractatum cum aliquot ipsius sociis in foedissimum carcerem coniecerit, tandemque praeter omne ius et aequum in iudicium capitis vocarit, ut parum sane abfuerit, quin ab eo et ceteris eius sociis sumptum sit supplicium.

Quam ob rem humillimis a me precibus contendit, ut vellem se caussamque suam iustissimam apud S. Regiam Vestram Maiestatem, ad quam eas iniurias, adversario suo in ius vocato, iam detulisset, pro officio meo, quod omnibus subditis meis nunquam non praesto esse soleret, clementer adiuvare. Quod illi, aequitatis in primis et testimoniorum innocentiae ipsius a Nobilibus ac Generosis Stanislao Barczi²⁾ a Blozew et Iohanne Dulski ipsi perhibitorum ratione habita, denegandum esse non existimavi. Rogo itaque et obtestor S. Regiam Vestram Maiestatem, ut huius subditi et servitoris mei, revera pacifici et probi hominis, caussam sibi commendatissimam habere atque id plane statuere in ea dignetur, ut ne quis in posterum, hoc fretus exemplo, similem in hominem innocentem exercere crudelitatem facile ausit. Factura in eo est S. Regia Vestra Maiestas rem iustissimo Rege dignissimam, mihi etiam adeo gratam, ut ipse quoque hoc nomine S. Regiae Vestrae Maiestati plurimum sim debiturus. Cuius consilia factaque felicissimos quoque eventus consequi exopto. Datae.

Princeps audiens assensit

In folio separato: Regi Poloniae, XI Martii anno Domini MLXV.

1) *Czeczotka.*

2) *Barzi.*

N. 5831.

Poppen, 11.III.1565.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Barzi, capitaneo Sniatynensi,
pro subdito suo Ioanne Steiffel, a senatore Cracoviensi, Erasmo Czeczotka,
gravissimis iniuriis affecto (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1955.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 256. (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5832.

Poppen, 12.III.1565.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

dolum vini Rhenani (quo ipse in mensa sua utitur) dono mittit.

(*Latine*)

Cfr. El. XLI, N. 1961.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 257. (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5833.

Poppen, 19.III.1565.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

de regis Sueciae conatibus episcopatum Osiliensem magnis copiis invadendi et de auxiliis duci Magno, episcopo Osiliensi, a rege ferendis.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 261-263 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Vicecancellario Regni Poloniae, XIX Martii anno LXV, ex castro venatorio Poppensi.

Reverende ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Allatum ad nos est hominum fide dignorum literis, Regem Sueciae¹⁾ res suas ita adornare, ut finitis inter se atque praefectum in Livonia Danicum constitutis induitiis (quae ad primam usque diem mensis Maii proxime venturi solummodo duratura sunt), dioecesim Ozeliensem quanto potest apparatu bellico invadat eamque suam faciat, atque ad hoc ipsum adeo navibus aliisque ad gerenda confiendaque bella necessariis rebus Revaliae, Pernoviae et nonnullis aliis in locis quam accurate se instruere dicitur. Audimus autem dioecesis illius eam esse conditionem, ut si in hostis potestatem deve-niat, nihil sane obstet, quominus civitatem Rigensem, totam Curlandiam reliquasque S. Regiae Maiestatis Poloniae etc., Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, in Livonia ditiones pro libitu vexare, iisque sub iugum suum redactis, Prussiae quoque non parum negotii facessere possit. Cui sane malo mature remedium quaeren-dum ipsisque principiis temporius obviam eundum est.

Cum autem facto inter praefatam S. Regiam Maiestatem et ipsum Serenissimum Danorum Regem²⁾ foedere, utrinque hunc in modum transactum fuisse cognoverimus, ut S. Maiestas Regia defendenda adversus quasvis hostium impressiones totius Livoniae curam sponte susceperit, Serenissimusque Danorum Rex, ea fretus pactione, Reverendissimum et Illustrissimum Principem Dominum Magnum, Episcopum Ozeliensem etc.³⁾, in Livoniā ita miserit, ut si ab hostibus vis aliqua illis ditionibus intentaretur, de auxilio praesidioque ferendo S. Regiam Maiestatem interpellaret, idcirco Reverendam Vestram Generositatem maximopere rogamus, velit horum periculorum magnitudinem diligenter secum expendere atque cum S. Maiestati Regiae, tum universis Regni Poloniae ordinibus suasor hortatorque esse, ut de eiusmodi malis avertendis et hostium conatibus impediendis reprimendisque, quoniam imminens indutiarum exitus nullam moram absque ingenti aliqua clade admittere posse videtur, missis confestim necessariis in Livoniā copiis, in momento cogitent.

Qua quidem de re etsi ipsum quoque Episcopum Ozeliensem ad S. Maiestatem Regiam prescripturum esse non dubitamus, tamen eam tam necessariam esse Reverenda Generositas Vestra existimet velimus, ut etiam eo tacente praesidiorum mittendorum cura non sit differenda. Si enim secus fieret hostisque Ozeliam suam faceret, posset fortasse S. Regia Maiestas non solum videri pactionibus, cum Danorum Rege confectis, non satisfecisse, sed totam etiam Livoniā opportuniorem ad debellandum hosti obiecissemus atque ad reliquas finitimas etiam regiones adoriendas occasionem praebuisse. Id ne eveniat, et ipsam S. Regiam Maiestatem et cunctos Regni Poloniae ordines divina favente gratia operam datus esse vehementer confidimus. Hanc ad rem S. Maiestas Regia eo equitatu, qui sub Sueco antea meruit et nunc Regiae Maiestati eius sese offert, commodissime uti posset, si tamen ex Lithuanis et Polonis ei exercitus aliquis adiungeretur. Quod ut S. Regiae Maiestati ceterisque Regni statibus curae cordique sit, industria, studio atque diligentia Reverendae Generositatis Vestrae effectum iri dubium nobis nullum est. Quae quidem ea re sibi sempiternam apud omnes paritura est gloriam et de nobis in primis optime meritura. Quod superest, Reverendam Vestram Generositatem felici frui valetudine percupimus. Datae.

Commissio Principis per Cancellarium⁴⁾
Iidem praesente Scalichio audivere
Enoch Baumgartner

1) *Ericus XIV.*

2) *Fridericus II.*

3) *frater Friderici II, dux Holsatiae.*

4) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5834.

S.l., 20.III.1565.

*Albertus dux in Prussia
consulibus Caunensibus
pro subdito suo Georgio Behem intercedit et rogat, ut in recuperanda
pecunia ipsi ab Eustachio Heling, cive Caunensi, debita, eum adiu-
vent.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 268. (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5835.

Poppen, 24.III.1565.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Pawłowicz Podskarbowicz, aulico regio,
pro litteris, 15.III. Insterburgi datis, et centum perdicibus sibi missis
gratias agit; de rusticis se erga eum male gerentibus dolet; quod ad
eius ad se adventum attinet, notum facit se brevi ex loco, quo nunc
commoratur, discessurum esse et eum deinde certiore facturum,
ubi se convenire possit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 160v-167 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5836.

S.l., 28.III.1565.

*Albertus dux in Prussia
venatori regio
pro cornibus cervinis sibi missis gratias ei referre cupiens, «exiguam
quandam catenulam» dono mittit et rogat, ut eam in recordatio-
nem sui gestare velit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 264 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5837.

S.l., 3.IV.1565.

Albertus dux in Prussia

*Iob Breitfuss, burggravio Vilnensi, architecto regio,
nuntiat se a Laurentio ab Halle, capitaneo suo Stradaunensi, intellexisse
arcem Vilnensem a palatino Vilnensi occupatam esse, et de hoc
casu sane mirabili accuratius edoceri cupit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 268 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5838.

Ex Nova Domo, 14.IV.1565.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

*nuntiat Christophorum marchionem Badensem ob impedimenta quae-
dam regem nunc convenire non posse; si rex tamen id necessarium
existimaverit, se, posthabitibus omnibus impedimentis, magnis itine-
ribus ad regem iturum esse; item significat generum suum, Ioan-
nem Albertum ducem Megapolensem, sororem suam duci Curlan-
diae in matrimonium dare promisisse.*

(*Schedula: Ioannem Albertum ducem Megapolensem in adipiscen-
da archidioecesis Rigenis possessione apud regem adiuvare petit*).

Cfr. El. XLI, N. 1962.

Conc., H B A, B, K. 1188.

Albertus etc.

Salutem et benevolentiam nostram.

Reverende ac Generose, Amice nobis singulariter dilecente.

Illustris Princeps Dominus Christophorus Marchio Badensis etc., qui nuper Regis Sueciae sororem coniugem duxit¹⁾, per legatum nobis suum significavit factam sibi quidem esse a S. Maiestate Regia, Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, literis regiis libera-
ram per ditiones et dominia eius transeundi potestatem, sed postea ab Illustri Duce Curlandico²⁾ et ab aliis regiis in Livonia praefectis sibi indicatum fuisse velle Maiestatem eius Regiam, ut Illustritas Sua certis de causis ipsam conveniret. Quod ipsum quidem Illustritas Sua facere plane apud se statuerit, si Maiestas eius Regia aut Vilnae (sicut ex quibusdam cognoverat eam hoc tempore cum aula sua ibi degere), aut in alio viciniori loco adiri potuisset. Cum autem deinde

Illustritas Sua certior facta sit S. Maiestatem Regiam Petricoviae celebrandis Comitiis distineri, quo propter longinquum intervallum, praesertim Illustrissima coniuge sua et grava et vehementer aegrotante (quam post se relinquere non libenter vellet), iter instituere sine magna difficultate non posset, perscrispisse Illustritatem Suam ad S. Regiam Maiestatem rationes, quibus impedita nunc quidem Maiestatem eius Regiam accedere absque gravi molestia nequiret, veruntamen si S. Regia Maiestas id fieri aut vellet, aut suas ob causas necessarium id esse existimaret, se quidem quocunque tempore vel hinc ex Prussia, vel ex quocunque alio loco, ubi ea de re mentem ac voluntatem S. Regiae Maiestatis intellexisset, posthabitibus omnibus quamvis gravibus impedimentis, magnis itineribus per postam (ut vulgus vocat) ad S. Regiam Maiestatem esse ituram.

Quibus intellectis, non praeter officium nostrum nos facturos arbitrati sumus, si de iis ad Reverendam Vestram Generositatem perscriberemus atque ab ea amanter peteremus, ut hanc rem S. Regiae Maiestati exponeret, ex qua vicissim quid facere eo in negotio nos velit, cognoscere quam primum possemus. Quod quidem his ipsis literis facimus et abs Reverenda Generositate Vestra, ut id apud S. Maiestatem Regiam efficiat et praesentem veredarium nostrum absque mora aliqua cum regio responso ad nos remittat, amicis precibus contendimus. Est enim ipse Marchio Badensis decima septima huius mensis die Cauna profecturus et postea ad fines nostri Ducatus accessurus. Nos quidem, quodcumque ea in re S. Regia Maiestas iusserit, libenter exequemur.

Matrimonium Curlanicum³⁾ eo tandem nunc pervenit, ut gener noster, Dominus Iohannes Albertus Dux Megapolitanus, se sororem suam Duci Curlandiae coniugem daturum esse diserte promiserit. Quod itidem Reverenda Generositas Vestra S. Maiestati Regiae significabit, eique literas adiunctas, quibus eadem de re S. Regiae Maiestati eius Dominus Iohannes Georgius Marchio Brandenburgensis ad proximas literas respondet, reddere non gravabitur. Quod reliquum est, Reverendam Generositatem Vestram Deo immortali commendamus, quae gratius nobis facere nihil potest, quam si se plurimi a nobis fieri statuerit. Datae.

Commissio Principis per Canitzium
Princeps audivit

Cedula etc.

Dictus gener noster, Dominus Iohannes Albertus Dux Megapolensis, item amice a nobis petiit, vellemus Illustritatem Suam, ut tandem citra longiorem moram archidioecesis Rigensis possessionem conqueretur, apud S. Regiam Maiestatem adiuvare. Id cum nos opera Reverendae Generositatis Vestrae non infeliciter tentatueros persua-

sum nobis habeamus, rogamus Reverendam Generositatem Vestram amanter, ut negotium hoc Megapolense curae sibi esse sinat, idque auctoritate, favore, studio ac diligentia sua eo tandem deducat, ut ne Dux Megapolensis ab adeunda archidioecesis possessione abstinerre diutius habeat necesse.

Praeterea rumore quodam tam ad nos, quam ad ipsum Megapoliae Ducem allatum est, interea temporis, dum cum Duce Megapolensi de archidioecesi agi coeptum est, nonnulla bona in ipsa archidioecesi a S. Regia Maiestate, non absque magno incommodo ac detimento quarundam arcium, etiam immeritis hominibus concessa ac tradita fuisse. Etsi autem plane statuimus eas donationes et concessiones eiusmodi fore, ut quovis tempore, cum archidioecesis Duci Megapolensi tradita fuerit, irrita vicissim fieri et convelli facile possint, rogatam tamen Reverendam Generositatem [Vestram] pari diligentia volumus, ut et factas huiusmodi donationes tempestive impeditat, et ne posthac aliae fiant, interposita sua apud S. Regiam Maiestatem auctoritate procuret. Id nos una cum genero nostro mutua bene merendi voluntate amice promerebimur. Datae ut in literis.

In folio separato: Vicecancellario Poloniae, XIII Aprilis anno etc. 65,
Neuhaus.

- 1) *scil. Caeciliam, sororem Erici XIV.* 3) *scil. Gottardi ducis Curlandiae cum Anna ducissa Megapolensi.*
2) *Gottardus Kettler.*

N. 5839.

Ex Nova Domo, 25.IV.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut rex exercitus Polonus et Lithuanos, qui ex Russia reversi archidioecesim Rigensem et nonnullas praefecturas Livonicas maximis damnis affecerunt, ex Livonia excedere iubeat et in Lithuaniae aut Russiae finibus, ubi hostium impetus propulsare possint, collocari mandet.

Cfr. El. XXXII, N. 981.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 273-274 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Regi Polonorum, XXV Aprilis anno etc. LXV, ex Nova Domo.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Chariissime.

Perlatum ad me est Polonorum et Lithuanorum exercitus, qui praeterita iam hieme facta in Russiam irruptione partem aliquam eius terrae, auspice Deo, devastarunt, reversos itineribus per archi-

dioecesim Rigensem factis, et ipsam archidioecesim et nonnullas praefecturas Livonicas maximo intollerabilique damno affecisse, eorumque locorum incolis ipsum plane exitium attulisse. Insuper autem constitutum eos habere, ut gregatim divisi reliquum tempus in Curlandia transigant. Hanc rem cum tam Illustri Duci Curlandiae¹⁾, quam ditioni et subditis eius omnibus non detrimentosam solum, sed et perniciosa fore intelligam, monere S. Regiam Maiestatem Vestram his literis volui meis, ut ipsius Ducis Curlandiae, qui alias ditionem habet non usque adeo fructuosam, ac totius reliquae Livoniae, diurnis cladibus ac calamitatibus penitus exhaustae et perditae, rationem habendam esse clementer statuat, suosque exercitus, ex Livonia excedere iussos, in Lithuaniae aut Russiae finibus, ubi arcere et propulsare hostium impetus incursionesque possint, collocari clementer mandet. Quo enim pacto Dux Curlandiae ceterique Livoniae incolae hostibus resistere poterunt, si a milite S. Regiae Vestrae Maiestatis omni ad gerendas res necessario subsidio spolientur?

Hoc autem ne fiat, S. Regiam Maiestatem Vestram curaturam esse vehementer sane confido. Faciet quidem S. Regia Maiestas Vesta in eo rem christiano Rege in primis dignam, et ipsum Ducem Curlandiae una cum reliquis Livoniensibus a presentissimo exitio eripiet. His ego S. Regiam Maiestatem Vestram felicibus successibus utentem diutissime valere exopto. Datae.

Princeps auscultantibus Cancellario²⁾
et Friderico Canitzio consensit
Enoch Baumgartner

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannens a Kreitzen.*

N. 5840.

Ex Nova Domo, 25.IV.1565.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario

rogat, ut pro auctoritate sua apud regem efficiat, quo exercitus Polonus et Lithuanus, nuper ex Russia reversus, ditionibus ducis Curlandiae gravissima damna inferens, a finibus Curlandiae ad loca ad restendum hostibus opportuniora revocetur (cfr. N. praeced.).

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 276-277 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Reverende ac Generose, Amice nobis singularite dilecte.

Ex literis nostris, ad S. Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, scriptis, cognoscet Reverenda Generositas Vesta, quae de Polonorum et Lithua-

norum exercitu non ita diu ex Russia reverso S. Regiam Maiestatem eius monere voluimus. Cum itaque hactenus in plerisque negotiis apud S. Maiestatem eius Regiam conficiendis singularem industriam, studium ac diligentiam Reverendae Generositatis Vestrae experti simus, persuasum nobis omnino habuimus, etiam hac in re operam Reverendae Generositatis Vestrae nobis non esse defuturam. Rogamus itaque Reverendam Generositatem Vestram summopere, ut pro sua apud S. Regiam Maiestatem auctoritate atque prudentia praesentissimum istud exitium, quod ditioni Illustris Ducis Curlandiae¹⁾ ab exercitu isto imminere videtur, sanioribus consiliis avertat. Aut si is exercitus ad defendendam contra Suecos Livonię revocatus est, det operam Reverenda Generositas Vestra quaesumus, ut ad loca, quae ad resistendum hostibus opportuniora et periculo viciniora sunt, ducatur. Curlandia enim praeter perniciem quid ab illo expectare possit, non videmus. Ne autem eiusmodi aliquid vere calamitosae isti provinciae accidat, cura et sedulitate Reverendae Generositatis Vestrae effectum iri non dubitamus. Datae.

Commissio Principis propria etc.
Cancellarius²⁾ audivit etc.

In folio separato: Vicecancellario P. Miskowski, XXV Aprilis anno 65.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5841.

Ex Nova Domo, 25.IV.1565.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Konarski

de filio eius, commendatione sua in aulam Ioannis Alberti ducis Megapolensis, generi sui, ante annos aliquot recepto, qui ita male sese gessit, ut spem suam prorsus fefellerit, queritur et nuntiat eum nunc apud capitaneum suum in Mariana Insula esse, unde eum accipere possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 275-276 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5842.

S.l., 8.V.1565.

*Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislaw Ławski]
petitioni eius de villa Suczki, in praefectura sua Licensi sita, certis
condicionibus ei concedenda, absque rationum suarum non exiguo
incommodo morem gerere se non posse nuntiat.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1950.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 280 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5843.

S.l., 16.V.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
nuntiat se a Christophoro marchione Badensi rogatum esse, ut ipsum
apud regem excusaret, quod consilium suum regem et sororem eius
una cum uxore adeundi ob impedimenta quaedam mutare coactus
sit.*

Cfr. EL. XXXII, N. 984.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 281-282 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Regi Poloniae, XVI Maii anno etc. LXV.

Serenissime Rex etc.

Illustris Princeps Dominus Christophorus Marchio Badensis, qui
nunc aliquandiu apud me Regiomonti commoratur, inter cetera col-
loquio inter nos instituto mihi significavit Illustritati Suae, cum ei
per ditiones S. Regiae Maiestatis Vestrae transeundum esset, nihil
aeque propositum cordique fuisse, quam ut S. Regiam Maiestatem
Vestram Serenissimamque illius sororem¹⁾ cum Illustrissima consorte
sua²⁾ accedere, deque arduis quibusdam rebus cum S. Regia Vestra
Maiestate et Illustrissima Celsitudine eius conferre potuisset. Quod
Illustritatis Suae consilium primum subita Illustrissimae coniugis
suae febris et quod, eadem gravida, nonnihil celerius ad ditionem
suam Illustritas Sua festinandum esse existimet, postea itineris lon-
ginquitas, quandoquidem S. Regia Maiestas Vestra Petricoviae Comi-
tia Regni celebrarit, et in loco propinquiore convenire non potuerit,

tum etiam quorundam Germaniae Principum literae, quibus de rebus non levibus, quae maturorem Illustritatis Suae redditum in Germaniam omnino postulent, ad Illustritatem Suam perscriptum sit, repente et ex improviso mutaverit.

Cum autem Illustritas Sua in primis sibi eam suspicionem effugendam esse arbitretur, ut ne S. Regiae Maiestati Vestrae aliud scripsisse, aliud vero constitutum habuisse cuiquam forte videatur, multis precibus me rogavit, vellem se apud S. Regiam Vestram Maiestatem quam diligentissime excusare. In quo Illustritati Suae morem gerendum idque his literis praestandum esse duxi. Illustritas autem Sua ista omnia, quae ad S. Regiam Maiestatem Vestram referre voluit, mihi secretius communicavit, ut de iis porro S. Regiam Maiestatem Vestram certiore facerem. Id ego pro mea erga S. Regiam Maiestatem Vestram fide atque observantia prima quaque occasione per internuntium aliquem, cuius mihi fidelitas maxime cognita et perspecta fuerit, facturus sum. Quod igitur reliquum est, S. Regiam Maiestatem Vestram summopere oro, ut et huic Marchionis Badensis excusationi locum concedere et me pristino favore ac gratia prosequi clementer dignetur, ego ipsam vicissim, quoad vixero, omnibus officiorum generibus colere et venerari pergam etc. Datae etc.

Commisio Principis per Fridericum Canitzium
Enoch Baumgartner

1) *scil. reginulam Annam, adhuc innuptam.* 2) *Caecilia Vasa.*

N. 5844.

S.l., 17.V.1565.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

sperat eum ab ipsa regina intellecturum esse, quid novissimae litterae sua ad eam datae continuerint; rogat, ut tum apud reginam tum alias omni studio instare conetur, quo expetitas intercessiones, ita ut in litteris suis continetur, obtinere queat (cfr. N. seq.).

(Schedula: nuntiat se a rege petivisse, ut per oratores suos ad Comitia Imperii deputatos apud imperatorem et status Imperii regi benevolos negotium abrogandae proscriptionis suaee promoverent; rogat, ut eisdem oratoribus regis omnes intercessiones a regina obtentas tradendas curet).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 167v-168 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

E Regio Monte, 18.V.1565.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

*petit, ut causam abrogandae proscriptionis suaे, in proxime futuris
Imperii Romani Comitiis tractandam, fratri suo, imperatori Maxi-
miliano, electori palatino Rheni Friderico, Alberto palatino Rheni
et duci Bavariae eiusque uxori, per litteras commendet.*

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 168-169v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An die konigin zu Polan, den 18 May anno etc. 65.

Mir zweifelt gar nicht, E.Ko.Mt. wisse sich mit königlichen gnaden woll zu erinnern, welcher gestalt dieselbe mich hiebevorn zum oftermaln bey ihrem vielgeliebten hern brudern, dem allerdurchleuchtigsten grosmechtigsten fursten und herren, herren Maximiliano, die zeit rö. konig, itzo aber erweltem römischen kaysern etc., meinem allergnedigsten hern, in sache die hochbeschwerliche acht, darein ich vorschiner zeit unschuldiger weise geraten, damit ich derselben wiederumb entledigt und befreiet werden möchte, gantz gnediglichen (dafür ich derselben zum höchsten danckbar) vorbeten, also auch wie gantz gnedigk ir rö. kay. mt. sich darauf erboten, das sie sich, do solcher handel in iren handen stunde, den allergnedigsten hern gegen mich erzeigen und beweisen wolten. Weil dann hochstgemelter E.Kö.Mt. vielgeliebter herr bruder itzo durch Gottes gnedige aussersehung zur regierung des kayserthums und also an die stelle erhaben worden, do ire rö. kay. mt. ihr zuvorbeschehenes allegnedigstes erbitten woll ins werck setzen und volontziehen khönnen, als gereicht ahn E.Kö.Mt. mein abermaliges embsiges bitten, E.Kö.Mt. wolle sich nachmals mihr zu gna- den durch ein besonder vleissigs schreiben bey irer rö. kay. mt. anzuhalten und dieselbe irer allergnedigsten oftermaligen zusage zu erinnern und derhalben in irer rö. kay. mt. bestermassen eine gestalt zu dringen nicht bevielen lassen, das sich dieselbe uf itzt bevorstehendem allgemaynem reychstage solche meine gar hohe beschwerung mit kayserlichen gnaden angelegen sein lassen, mich derselben entlichen einmal allergnedigst befreyen oder zum wenigsten je also restituiren wolle, domit ich ohne fernere workurtzliche ufzögerung zu den frenckischen wolbefugten lehen khommen und gelangen möge, wie ich mihr dann doran, das E.Kö.Mt. irer gegen mich ie und allewege erzeugter gnediger gewogenheit nach bey irer rö. kay. mt. disfals das beste und wess mihr immer zu gnaden gereichen mag, vortstellen werde, den wenigsten zweifel mache.

Und als ich ferner die tröstliche zuvorsicht gefast, es solle mihr
in gleichen des hochgeborenen fursten, meines freuntlichen lieben
ohaimen, schwager und bruders, hern Friedrichen, des heyligen rö-
mischen reichs erztruchsass und churfursten¹⁾, in gleichen auch hern
Albrechts²⁾, beider pfaltzgraven bey Rhein und hertzogen in Ober-
und Niederbayern etc., beforderung nicht weinig nutzbar sein, so
gelanget gleichergestalt an E.Kö.Mt. mein vleissigs undertheniges
bitten, E.Kö.Mt. wolle mich nicht allein an ire l. als ire freuntlichen
lieben schwegere derhalben gnedigst vorschreiben und mich densel-
ben zu allem besten ins vleissigste bevelhen, sondern auch s.l. herzogk
Albrechts gemaell, ihre freuntliche geliebte schwester³⁾, meine auch
freuntliche liebe muhme, mit einem schreiben, das i.l. meine sache
bey ihrem geliebten hern gemall gleicherweise fordern und bey i.l.
derhalben mit trewem vleiss anhalten wolle, ersuchen. Solches alles
will ich mich hinwiederumb E.Kö.Mt. hochstes vormugens die zeit
meines lebens zu beschulden bevleissen, auch meinen gelibten sohn⁴⁾
zu gleicher undertheniger danckbarkheit gegen E.Kö.Mt. vormahnhen
und auferziehen. Dessen l. sich auch ohne zweifel den gehorsamen
dinstiwilligen sohn gegen E.Kö.Mt. erzeigen und vorhalten wirdt.
Und thue E.Kö.Mt. hiemit etc. Datum Königspergk etc.

E[noch] Baumgartner

- 1) *Fridericus II, elector palatinus Rheni* 3) *Anna Austriaca.*
ab. a.1559. 4) *Albertus Fridericus.*
2) *Albertus V.*

N. 5846.

S.l., 30.V.1565.

*Albertus dux in Prussia
consulibus Caunensibus
pro subdito suo Stephano Clagen, cive Cnipaviensi, intercedit et rogat,
ut in recuperanda pecunia, pro duobus lastis salis ei a vidua Iacobi
Schultz debita, eum adiuvent.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 269-270 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5847.

S.l., 2.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

*Annae, Nicolai Bielewicz, capitanei Ejragolensis, coniugi,
pro strophiolis «egregie acu pictis» per servitorem eius sibi oblatis
gratias agit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 286 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5848.

S.l., 8.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

*Annae, Nicolai Bielewicz, capitanei Ejragolensis, coniugi,
pro litteris et muneribus acu pictis, sibi et filiae suae [Elisabeth] dono
missis, gratias agit.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1188 (in Ostpr.Fol. deest).

N. 5849.

S.l., 11.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Sierakowski, castellano Landensi, Nicolao Łysakowski, castella-
no Lubaczoviensi, Andreeae Gniewosz de Sarnowo
nuntiat se litteras eorum, quibus de legato testamentario a defuncto
Gabriele Tarlo in favorem sui relicto, accepisse; de morte eiusdem
Tarlo dolet; rogat, ut excusare se velint, quod eorum petitioni pro
Stanislao Miłoszewski factae satisfacere non possit.*

Cfr. El. XLI, NN. 1964, 1969.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 169v-171 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An Johan Sirakowsky, castellanus Lendensis, heuptman Przedetz-
ki, item Nicolaus Lissacofsky, castellan zu Lubatzew, und ahn
Andreas Gniebusch von Sarnowa etc., den 11 Junii anno etc. 65^{sten}.

Wir haben ewer schreiben, zu Radom den 26^{sten} tag May ausgangen,
bekommen, inhalts, den wir nach lenge zu wiederholen von unnöten
achten, lesende eingenommen und anfenglich daraus vorstanden, wes
uns der edle und ehrnveste, unser auch lieber besonder her Gabriell
Terla seliger löblicher gedechnus etc., in seinem testament und letzten
willen aus gar trewer hertzlicher zuneigung und wolmeinung, damit
ehr jederzeit und also bis in sein gruben uns, und wier in gleichen ihnen

vorfaren und einander zugethan gewesen, vorschrieben und vormachet, und welchermassen ir uns dasselbe alles als die volmechtige und verordnente executores solches testamente einzuandtworten erbieten thut.

Nun sollelt ihr uns gewis gleuben, das uns der tödliche abgangk wolgedachts hern Terle zum schmertzlichsten zu vornemen. Hetten ihme auch, do es Gottes gnediger und gefelliger wille also gewesen, woll gönnen und von seiner göttlichen almacht wuntschen mögen, das er nach eine zeitlang am leben gefristet und dieselben gütter, so ehr uns und andern vortestamentiret, noch eine zeitlang selbst gebraucht hette. Weil es aber Gott dem almechtigen nach seinem aussersehenden willen also gefallen, will demselben still gehalten sein, und weil wier dannost aus diesem des hern Terle letzten willen und testament gnedigst vormercken, das ehr nicht allein die zeit seines gesunden lebens, sondern auch bis in den tod mit trewer und herzlicher neigung gegen uns, wie wier dann ohne ruhm in gleichen gegen ihme vorharret und solchs ane zweifel mit demselben seinem testament bezeugen wollen, als ist solche vormechtnus auch darumb so viel desto lieber und auch also angenehme, das wier dieselbe nicht geringer schatzen oder achten khonnen, als wehre uns etwan dieselbe von dem negsten unserm agnaten wiederfaren. Solle auch, wie pillich, bey uns und unserm geliebsten sohne zum starcken gedechnus nimmermehr, solang ein jeder seiner arth nach wehret, nicht von uns khommen oder abhendig gemachet werden. Und sodann ewere personen sich erbitten, uns die farung also woll die vorschreibung über den vorpfendetn hoff und gutt zuzusenden, auch dieselben einzureumen zu lassen, nehmen wier solch ewer erbieten zu hohem gnedigem danck auf und ahn, wollen desselben, das es forderlich geschehe, gewertig sein und umb euch in allen gnaden zu erkennen.

Soviel aber ewer bitten anlanget wegen des erbarn, unsers lieben besondern Stanislao Miloschewsky, das wier ihme etwan ahn dem hofe gnad beweisen solten, in dem wehren wir ewren personen, do es ein andere gelegenheit darumb hette, und das uns derselbe nicht von so unserm vortrawsten wolmeinendem freunde und zum gedechnus gepflogener trewe übermacht und vortestamentiret, zu willfaren nicht ungeneigt. Weil es aber die gelegenheit und das wier auch noch zur zeit die pfandtvorschreibung nicht gesehen oder denselbigen hoff besichtigen lassen, sinnen wier gnedigst, ir uns aus angezogenen ursachen entschuldiget nehmen wollet. Wan wir aber die pfandtvorschreibung gesehen, den hoff besichtigen lassen und uns zur gnuge aller gelegenheit und ob wier denselben erblich an uns bringen khönnen, erkhundigt, alsdann wollen wir uns den gnedigen hern gegen ihme in muglichem erzeigen. Welches wier auch etc.

Princeps audiens consensit
D[avid] Gercke

S.l., 11.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Miłoszewski, secretario regio,

*de dolore suo propter Gabrielis Tarlo obitum litteris eius renovato, sed
christiane ferendo, nuntiat; de bonis a defuncto testamento sibi
legatis gaudet et rogat, ut litteras hypothecarias super curiam sibi
legatam ad se perferri curet.*

Cfr. El. XLI, N. 1965.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 287-288 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Stanislao Miloschewski, XI Iunii anno etc. LXV etc.

Etsi quidem antequam literae tuae nobis reddebantur, de obitu Magnifici ac Generosi, nobis singulariter dilecti Domini Gabrielis Tarlo, Castellani Radomiensis ac S. Reginalis Maiestatis Poloniae curiae Magistri etc., non obscure ad nos perlatum fuerit, nosque ea fama haud mediocriter perturbati simus, tamen dolor iste, quem ex amici charissimi morte concepimus, nunc denuo literis tuis, quibus idem casus etiam atque etiam deploratur, vehementer renovatus est, ac ita quidem renovatus, ut nisi eandem consolationem, qua tu te erigere sustentareque videris, quod nimirum pie sancteque decesserit, adhiberemus, inconsolabilis prope esset futurus. Sed cum et hoc ipsum et nobis omnibus certo moriendum esse cogitamus, fit, ut quidem et maerore ingenti ex amici obitu afficiamur, et tamen eum casum, ut christianum decet, feramus.

De constanti Magnificentiae illius erga nos fide, amore atque observantia, quae Magnificentia illius non solum usque ad extremum vitae halitum diligenter tutata est, sed testamento etiam bonis quibusdam nobis legatis¹⁾, post funera constare omnibus voluit, nunquam quidem dubitavimus. Attamen non potuit ea declaratio perpetuae illius erga nos voluntatis non gratissima nobis accidere. Ideoque istud omne, quod nobis a Magnificentia eius legatum est, tam charum nobis erit, ut inter cunctas opes nostras nihil aequa charum simus habituri. Idcirco perquam gratiose abs te postulamus, ut cum ceteris rebus literas quoque hypothecarias super curiam nobis legatam²⁾ ad nos perferri cures, ex quibus quae nobis, ad eam curiam quod attinet, ineunda sit ratio, cognoscere possimus. Tui, cum tibi testamenti executio commissa sit, ubi res legatae ad nos perlatae fuerint, eam habiti sumus rationem, ut nobis officia tua grata fuisse maxime intelligas. Lectis literis hypothecariis, de domo et curia quoque quid fieri velimus, tibi significabimus. In primis autem quando Vilnae futurus sis, ut aliquem ex nostris ad accipiendo curiae nobis legatae tradi-

tionem mittere eo possimus, certiores fieri percupimus. Feceris itaque rem nobis pergratam, si mature id ad nos perscripseris. Bene recteque valeas etc. Datae.

Princeps audivit et probavit
Enoch Baumgartner

1) *Sermo est de bonis Góry prope Vilnam.* 2) *Vilnae in platea Arcis sitain.*

N. 5851.

S.l., 11.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

significat se litteras eius, de villa Vilnae sita et duobus pagis ad eam pertinentibus, sibi a defuncto Gabriele Tarlo testamento legatis, se certiorem facientes, accepisse; cum tamen bona ista palatini Kioviensis propria esse intellexerit, et ad ea iure hereditario obtinenda cum eodem palatino agendum sit, se paratum esse nuntiat necessariam pecuniae summam huius rei causa impendere et consentire, ut Stanislao Miłoszewski hoc negotium committatur; quod vero ad ipsius Miłoszewski negotium attineat, re accuratius cognita et explorata certum responsum ei dare pollicetur.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 171-173 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An Erhart von Kunhaim, den 11 Junii.

Wier haben dein schreiben, zu Radom den 29^{sten} jungstvorschienen monats May datiert, bekhommen und inhalts anfengklichen aber vorstanden, welcher gestalt der edle und ehrnveste, unser besonder lieber her Gabriel Tarlo etc., uns in seinem letzten testament, damit ehr seine je und allewege bey seinem leben zu uns getragene trew und gewogenheit auch in seinem ende gegen iedermeniglichen bezeugen und khundtun wollen, mit vortestamentirung eines hofs zur Wilda und zweyen darzu gehörigen dörfern, auch einem parr keten und anderem, sowoll auch unsern geliebten sohn¹⁾ mit etzlichen rossen bedacht. Nun wolten wier zwarten²⁾ nichts liebers wuntschen, dann das gemelter herr Gabriel Tarlo, den wier allwege hinwieder viel geliebet, von Gott dem almechtigen beim leben lenger erhalten und gefristet worden wehre. Weil es aber seiner almacht also gefallen, mus er derselben auch heimgestellet und bevolen sein. Wir wollen aber nichts desto weniger dess, wess uns herr Tarlo sehlicher vormacht, wiederumb so lieb und wehrt halten, darob meniglich spuren muge, das uns ein sehr lieber freundt an ihnen abgangen.

Alsdann ferner in deinem schreiben gemeldt wirdt, das du soviel vormerckste, do dieselben uns vortestamentirte gutter dem herren woywoden zu Kiow²⁾ allein zugehorig, mit ihme, domit wier dieselben erblichen bekommnen möchten, wol und leichtlich zu handlen sein solte, darzu dann der erbar, unser lieber besonder Stanislaus Miloschowsky fur andern mittel und wege wuste, uf solchs geben wier dier mit gnaden zu erkennen, das wier den hoff zur Wilde neben den darzu gehörigen dörfern erblich an uns bringen möchten, eine ziembliche billiche summa geldes nachzugeben nicht ungeneigt. Begeren auch gnedigst, du wollest gedachtem Miloschowsky diese unsere meinung anzeigen und wegen unser, das ehr solche handlung ie ehe ie besser vornehmen und es dahin mit allem vleisse bearbeiten wolle, bey ihme anhalten.

Des andern hauses halben, welches vermöge deines berichts in der Teutzschen gassen gegen das Morsteins haus über gelegen, achten wier uns, weil gar kheine landtgutttere, davon dannoch zu den gebeuden etwas genommen werden möchte, dabey sein, zu bemuhen von unnöten. Mit dem andern hof aber, darzu nun dörfere gehörigk und darus man dannoch zu erhaltung des hofes etwas zu nehmen, khönnen wir handlung wol leyden, wollen auch was billich, wie obgedacht, nachzugeben unbeschwert sein.

Was ferner mehr gemelten Miloschowsky belangt, das wir ihme, als der uns bey der kö.mt. zu Polann etc., unserm gnedigen und freuntlichen lieben oheimen, in unsrem vorfallenden hendeln wol dienen könne, fur andern solch pfandtgutt gegen geburlichen jherlichen abtragk zukommnen lassen wolten, uf solches khönnen wier uns noch zur zeit, weil wier umb desselben guts gelegenheit oder einkhunften gar keine wissenschaft haben, nicht resolviren. Gantz und gar seint wier dasselbe von uns zu lassen nicht bedacht, sondern wollen es, sofern wirs anderst bey denen, welche es vorpfendet, das es nicht abgelöset, erhalten khönnen, die tage unsers lebens umb unsers getrewen freundes willen, wann wir auch desselben nicht uf einen einigen pfennig geniessen solten, behalten. Das wir aber ihme solches fur andern zu vorwalten bevelen, kann vielleicht, wann wir nun der gelegenheit desselben berichtet, woll geschehen. Wollen aber fur nichts gewisses hiemit zugesagt oder abgeschlagen haben. Wann wir aber von ihme, wann ehr zur Wilde sein wirt, berichtet werden, so wollen wier unserer diener einen, der wegen unser die tradition solcher gutter empfahe und sich aller gelegenheit zur notturft erkundiget, dahin in gleichen abfertigen und uns alsdann mit endlicher andwort gegen inen ercleren, in allewege aber uns also erzeigen, damit ehr unsere gnade zu spuren. Wollest derwegen, das ehr uns seine ankhunft gen der Wilde vormelden und doneben uns auch die pfandesvorschreibung über dieselben guttern mit dem ersten zuschicken wolle, bey ihme

anregen und ihnen, das ehr allen vleis anwenden wolle, damit wir den hof und gutter behalten mochten, vleissig anhalten. Das gebuerliche und ziembliche wollen wier gerne hernach geben und es umb ihnen mit gnaden bedencken. Das wier der cum titulo königin³⁾ nicht andtworten, wollest uns, zum besten du weist, entschuldigen. Wollen in khurtzen ire kö.mt., wils Gott, mit unsern schriften ersuchen. Das alles gereicht uns zu gnedigem gefallen etc. Datum.

Principi placuit
Enoch äumgartner

z) *Sic. in ms.*

1) *Albertus Fridericus.*

2) *Constantinus Basilius Ostrogski.*

3) *Catharina.*

N. 5852.

S.l., 18.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*in negotio, quod Stanislao Rayski, capitaneo Olitensi, cum subdito suo,
cive Regiomontano Michaele Gelhor, ratione cuiusdam debiti intercedit,
respondeat se, cum propter grassantis pestis saevitiam ex Regio
Monte discedere cogeretur, vicesgerentibus suis commisisse, «ut magistratui Kniphofiensi serio eius rei prourationem iniungerent».*

(Latine)

Cfr. El. XXXII, NN. 954, 976

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 289-291 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5853.

S.l., 26.VI.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*rogat, ut rex praefecto Dunemundensi inhibeat, ne Rigenses a munitione
portus illorum, sollemni mandato ante aliquot annos ipsis a rege
permissa, arceat.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff.291-293 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Ad Regem Poloniae, XXVI Iunii anno etc. LXV.

Significatum est mihi S. Regiam Vestram Maiestatem Rigensibus, ad supplices ipsorum preces, ante aliquot annos in Conventu Petrocoviensi et in proximo Conventu Warsoviensi permisisse solenni mandato edito, ut contra quasvis hostiles impressiones in hoc tumul-

tuario statu terrarum Livoniae ipsi portum suum navibus impositis communirent. Confirmavit quoque hoc ipsum S. Regia Vestra Maiestas meo rogatu Caunae, gravibus, de quibus tunc sermo nobis erat, ex causis. Nunc Rigenses queruntur, Capitaneum S. Regiae Vestrae Maiestatis Dunemundensem novam potestatem sibi sumere arcendi Rigenses a communitione portus illius, idque non sine detimento et Reipublicae Rigensis gravi incommodo.

Cum enim ipse Capitaneus sibi sumat potestatem munitionum erigendarum in litore portus illius, efficitur inde, ut non solum peregrini nautae et mercatores, sed vicini quoque litoris illius accolae metu militum ab accessu portus illius deterreantur. Sed quia senatus et populus istius civitatis plane confidit inscia S. Regia Vestra Maiestate ista fieri, neque ex Caunensi colloquio concium clementissimae illius permissionis esse non ignorat, ideo magnis a me precibus contendit, ut S. Regiam Vestram Maiestatem eorum submonerem, quae ipsa antea re bene deliberata semel statuit atque permisit. Facere igitur non potui, quin precibus illorum annuerem. Itaque officiose peto, ut S. Regia Vestra Maiestas praefecto Dunemundensi inhibeat, ne quid iuris aut potestatis in ea munitione sibi sumat, quam S. Regia Vestra Maiestas Rigensibus semel permisit et demandavit, sed ipsos Rigenses, sicut hactenus fecerunt, ad sui suorumque defensionem invigilare atque ita portum suum munire iubeat, ne quid inde detrimenti tam civitas ipsa, quam tota Livoniae provincia accipiat. Factura in eo S. Regia Vestra Maiestas rem per se necessariam et non tam civitati Rigensi, quam tranquillitati universae Livoniae, salutarem.

Relatio D. Doctoris Jonae
Idem legit
Andreas Moncer Secretarius

N. 5854.

S.l., 2.VII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
de bona valetudine eius gaudet et nuntiat se etiam, pro aetatis suaे condicione, bene habere; propensi animi sui in eam testimonium,
duas tunnas butyri, aliquot caseorum ovinorum sexagenas et sex
dolia vini Rhenensis dono mittit.*

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 173-174 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An die konigin zu Polan, den andern Julii.

Gnedige freuntliche liebe fraw, muhm und geschwey.

Dieweil mir keine zeitung uf erden lieber oder angenehmer, dann wann ich hören und erfahren magk, das E.Kö.Mt. von Gott dem almechtigen in bestendiger gutter leybes gesundheit gefristet, ich auch hinwider zun E.Kö.Mt. underthenige zuvorsicht trage, dieselbe mir in gleichen gute vormögenheit und wolgehen mit gnaden gerne gönnen und wuntschen, als hab ich demselben allen nach nicht underlassen sollen, E.Kö.Mt. mit meinem underthenigen schreiben distlichen zu besuchen. Und bin anfenglichen zu Gott des kindlichen vortawens, derselbe werde E.Kö.Mt. bishero in glucksehligem gewuntschten zustandt gnedig und vaterlichen (wie ich dann darumb zu seiner göttlichen almacht hertzlichen rufe und flehe) erhalten haben. Mit mihr ist es, meines numehr hohen und zum ende neigenden alters gelegenheit nach, noch zur zeit leidlichen, wiewoll eine zeit besser dann die andere, wie das vermugen bey den alten in gemein unbestendigk. Der liebe, getrewe, fromme Gott wolle ferner seine göttlich gnad vorleyhen und mich zu seiner zeit (des ich seiner almacht in ire göttliche hende bevhele und heimbstelle) aller schwacheit befreyen und zu sich in die himlische ewigwehrende freude auf- und annehmen.

Damit aber E.Kö.Mt. ich meine underthenige getrewe gewogenheit bis an meines lebens ende auch in dem allerwenigsten bezeuge, ubersende derselben ich hiemit wiederumb two tonnen putter, etzliche schock schefenkesesn und sechs ohmen reynischen wein, mit angehaftem underthenigem bitten, E.Kö.Mt. wolle solchs geringes mit königlichen gnaden von mihr annehmen und desfalls mehr mein undertheniges wollmeinendes trewherziges gemut, dann die schiknung selbst ansehen. Doneben ich von Gott embsiglichen wuntsche und bitte, das E.Kö.Mt. solchen wein und putter in gutter frölicher gesundheit geniessen und vorbrauchen mugen. Und thue E.Kö.Mt. (die meine gnedige, freundliche, liebe fraw, muhme und geschwey sein und bleiben wolle) Gottes gnedigem schutze fur allem bösen zu behutten und zu bewahren, trewlichen emplfehlen. Datum etc.

E[noch] Baumg[artner]

N. 5855.

Ex Nova Domo, 10.VII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Georgio Olelkowicz, duci Slucensi, capitaneo Bobrujscensi,
pro litteris et salutatione gratias agit; duos equos Frisos dono mittit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 298-299 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Ex Nova Domo, 16.VII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*gratias agit regi, quod negotium proscriptionis suaे in futuris Imperii
Comitiis tractare intendit; describit difficultates in liberatione du-
cis Finlandiae eiusque coniugis ex captivitate regis Sueciae, licet
marchio et marchionissa Badenses liberationem eorum non admo-
dum difficultem esse existiment.*

Conc., H B A, B, K. 1188 (in Ostpr. Fol. deest).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Cha-
rissime

Consiliarius meus, Nobilis ac Generosus Venceslaus Schackius,
qui internuntium apud S. Regiam Vestram Maiestatem meum proxi-
me egit, reversus summa fide ista omnia mihi retulit, quaecunque a
S. Regia Maiestate Vestra ipsi ad singula legationis capita perquam
clementer responsa fuere, in primis vero quam benevolo benignoque
animo S. Regia Maiestas Vestra promiserit se, ut indigno immerito
que proscriptionis negotio, quo hucusque per multos annos graviter
conflictior, tandem aliquando levari possim, in futuris Sacri Imperii
Romani Comitiis summae curae habituram esse. Pro qua quidem S.
Regiae Maiestatis Vestrae clementissima pollicitatione eidem im-
mortales ago gratias, summa omnium in me nervorum contentione
in eo innixurus, ut huic S. Regiae Maiestatis Vestrae erga me pro-
pensissimae voluntati omnibus debitibus officiis studiisque quam
maxime satisfaciam. Neque enim diffido, quin eam rem, si iis rationibus
atque viis, uti S. Regia Maiestas Vestra prudentissime statuit,
pertentetur, prosper exoptatusque eventus sit consequuturus. Li-
bellum

(2 paginae desunt)

minime committendum esse iudico, ut S. Regia Maiestas Vestra vel
levissimam aliquam rem, quam scire eam oportuerit, celatam voluisse
merito possit suspicari. Peto autem etiam atque etiam, ut S. Regia
Maiestas Vestra ea consilia, quamvis quidem meo iudicio nunquam
feliciter attentari potuerint, quoniam a Rege Suecorum¹⁾ cognita, aut
mortem ipsam aut certe perpetuam captivitatem Duci Finlandiae²⁾
eiusque coniugi³⁾ allatura essent, pro secretissimis habeat. Sunt au-
tem huiusmodi:

Cum hoc tempore Dux Finlandicus cum dilectissima consorte sua in arce Gripsholmio, quae quidem praeterquam quod in mari sita murisque cincta sit et quatuor turres habeat, alias non magnopere sit munita, captivi detineantur, putabant Marchio et Marchionissa Badenses⁴⁾ Finlandiae Ducem cum coniuge ac sobole, quod Maiestates eorum a paucis admodum custodiantur, sequenti stratagemate absque magna difficultate liberari posse. Naves aliquot instructas vel a S. Regia Maiestate Vestra Gedano, vel a Serenissimo Danorum Rege⁵⁾ versus arcem quandam Comitis Schwantensis, Horusholmum dictam et quinque milliaribus a Gripsholmio distantem, ad quam propter maris profunditatem tutus undiquaque navibus esset accessus, sub initium veris, aquis adhuc glacie, ut transire miles possit, concretis, mittendas ibique sclopettarios in littus exponendos esse. Cumque inter eam Comitis Schwantensis arcem atque Gripsholmum oppidulum quoddam, Tallien nuncupatum, hinc duobus, istinc tribus milliaribus distans, iaceat, aut inopinata vi a milite id adoriendum capiendumque, aut plane praetereundum esse, postea noctu Gripsholmum alacriter contendendum. Ubi eo perventum esset. Sclopettarium in duabus popinis, quae ante arcem Gripsholmum et extra muros iaceant, atque inter angustias montium sese recondere, apertisque mane portis, ex improviso in arcem confertim irruere, resistentes prosternere, summa imis miscere, ac ita Principibus personis repentinae impetu liberatis, ad naves celeriter reverti easque ventis committere debere.

Dictu quidem, Serenissime Rex, Domine Clementissime, ut cetera omnia, facilia, factu vero longe difficillima mihi videntur. Sedes enim regia Stockholmum septem solummodo milliarium intervallo a Gripsholmio distat, et praeterquam quod Rex Sueciae terra marique sua subsidia eo submittere potest, ipse etiam locus per se satis frequens et populos est, ut qui ad tam periculosum facinus audendum pertentandumque mitterentur, mera temeritate ad mortem destinati videri possent. Si autem propositum hoc non succederet, quae Regis Suecorum est inhumanitas, Duci Finlandico eiusque coniugi aut certam internectionem, aut longe gravissimam perpetuamque captivitatem in interiore aliquo Sueciae loco, ubi deinde nulla spes liberationis reliqua esset futura, imminere.

Itaque summa diligentia providendum est, ne eos, quos liberare volumus, re parum feliciter suscepta aut vita ipsa privemus, aut in longe maximas quasque ac infinitas difficultates praecipitemus. Ad Serenissimum quidem Danorum Regem id consilii per quandam legatum meum perferti curavi. Ex eo ubi cognovero, quid Serenitati eius visum ea de re fuerit, non patiar, ut S. Regiam Maiestatem Vestram quidquam eorum lateat. Iterum atque iterum autem moneo et precor, ut S. Regia Maiestas Vestra, ne quis Suedicorum speculato-

rum istud resciscere possit, summam curam adhibeat, ideoque, si possibile est, prorsus nemini, aut certe non pluribus quam uni atque alteri, iisque fidissimis, id concredat.

Principi audienti placuit

In folio separato: Regi Poloniae, XVI Iulii anno etc. 65. Alia manu: Datum Neuhaus.

1) *Ericus XIV.*

2) *Ioannes.*

3) *Catharina Jagellonica.*

4) *Christophorus et Caecilia Vasa.*

5) *Fridericus II.*

N. 5857.

Ex Nov Domo, 28.VII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
scribit litteras eius mortem palatini Vilnensis sibi annuntiantes, quam-
vis de ea iam prius per alios certior factus sit, maerorem suum et
dolorem non parum imminuisse.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 299-301 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice syncere nobis dilecte.

Recte quidem coniecit Magnificentia Vestra, nos ante redditas nobis literas suas de morte Illustris Principis, amici ac fratri singulare nobis dilecti, Domini Nicolai Radziwill, Palatini Vilnensis¹⁾, per alios certiores factos fuisse. Ut autem nemo antea singulas circumstantias, quam pie nimirum atque sancte Dominus Palatinus (cuius obitus nobis, pro nostra fraternitate et mutua necessitudine, magnum sane dolorem attulit) ex humana consuetudine decessisset, ad nos pari diligentia perscripserat, ita nobis eas ex Magnificentia Vestra cognoscere erat multo gratissimum eaque res maerorem nostrum, quanquam tollere penitus non potuit, haud parum tamen imminuit. Si enim conditionem vitae humanae, qua universis hominibus semel tandem citius tardius-ve moriendum est, consideremus, quid ipsi Palatino, quod non nobis ipsis quoque singulis paene momentis immineat, accidisse existimabimus? Qui autem ita moritur, ut cum caelestibus postea in sempiterna saecula sit victurus, is non evocatus e vita, sed ad vitam, quae vere vita dici et potest et debet, cum huius lucis usura verius mors sit quam vita, vocatus esse nobis videtur. Itaque gratulandum-ne potius Palatino eo nomine vel condolendum

sit, plane dubitaremus, nisi sacra pagina, quae mortes piorum ingressum ad aeternam vitam esse docet, dubium istud facile nobis eximeret.

Moderabimur ergo dolorem nostrum et nostras quoque res ita componemus, ut non tantum absque horrore aliquo, verum etiam paratissimo libentissimoque animo naturae exigenti debitum persolvere possimus. Eam voluntatem ut Deus in nobis confirmet, numen eius supplices deprecamur. Magnificentia Vestra diu valeat. Datae.

In folio separato: Ostaphio Volovitio, XXI Iulii anno 65. Alia manu: Datum Neuhaus.

1) *Obiit 29.V.1565.*

N. 5858.

Ex Novo Castro, 1.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

consulit regi, ut de hoc imprimis cogitet, ut militibus, qui in obsidenda et expugnanda Parnovia fortiter pugnaverant, sine mora stipendia debita persolvantur, etiamsi aerario regio duriores ad tempus rationes sustinendae essent, ne – si secus fiat – milites a rege prorsus alienentur; monet tamen, ut alio quovis pacto militi potius satisfiat, quam ut archiepiscopatus Rigensis, genero suo, Ioanni Alberto duci Megapolensi, promissus, quoquo modo imminuatur.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 304-307 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Regi Polonorum, I Augusti anno etc. LXV, ex Novo Castro

Renuntiatum mihi est militem Suedicum, qui per decursum totius anni, Polonicis stipendiis ab Illustri Domino Curlandiae Duce¹⁾ conductus, in Livonia militavit, nullam stipendiorum solutionem toto fere militiae tempore accepisse. Nihilominus autem fortiter ab illo tam in obsidione quam expugnatione Parnensi pugnatum esse. Etsi autem Illustris Dominus Curlandiae Dux defectum stipendiorum persaepe S. Regiae Vestrae Maiestati indicasse nervumque belli petuisse dicitur, tamen duo saltem thalerorum circiter millia sibi ex thesauro Lithuanico missa, iussumque se esse, ut per impignorationem praefectoriarum aliquot in dioecesi Rigensi aes alienum ad persolvenda stipendia conquereret. Quia vero S. Regia Vestra Maiestas prudentius me intelligit, summa duorum millionum parum admodum aut paene nihil effici, ac rebus in Livonia adhuc sic stantibus vix

inveniri quenquam posse, qui vel levissimam pecuniae summam hoc tempore titulo hypothecario in praefecturam eius provinciae aliquam mutuaturus sit, permagni autem S. Regiae Vestrae Maiestatis interest, ne rei bene contra Suecum²⁾ gerendae occasionem, occupata iam Parnovia, negligat, illud enim parva manu confecit, quo ad invadendam minore cum difficultate Revaliam quoque fenestra quasi patefacta esse videtur, pro mea itaque fide S. Regiae Vestrae Maiestati consulo, ut quod feliciter coepit, ne remittat, primo autem omnium in eas cogitationes incumbat, ut militibus stipendia persolvantur, etiamsi aerario S. Regiae Vestrae Maiestatis in tempus duriores aliquanto rationes sustinendae essent. Ne si hoc non fiat, procrastinationes solutionis iusto diutius extractae militem remissiorem, indignabundum vel plane alienum a S. Regia Vestra Maiestate reddant. Quam turpe autem cumque indignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis coniunctum esset futurum, si militia haec propter salarii defectum deserenda vel remissius post partam victoriam tractanda esset, nemo est qui non intelligat.

Huc et illud expendendum accedit, quod omnis labor et opera obsidionibus et oppugnationibus toto militiae huius tempore frustra esset impensa, si terrae Livoniae hoc militari praesidio nunc destinuerentur et recuperata in novam praedam hostibus obiicerentur. Quam ob rem etiam atque etiam peto, ut S. Regia Vestra Maiestas rei magnitudinem ac sua suorumque commoda clementer secum examinet curetque, ut debita militibus stipendia primo quoque tempore exsolvantur.

Praeter enim superius enumerata omnia, militum horum opera non modo terris Livoniae magno erit praesidio, sed ad intercipiendum vel impediendum saltem Revaliensibus commeatum et pabulationes apprime utilis, siquidem ex ea civitate magna cibariorum copia resque frumentaria et quaevi bello necessaria Sueco subvehuntur. Posset hac quoque fortassis ratione civitas Revaliensis ad deditonem, vel ipse Suecus eo facilius ad tolerabiles conditions cogi.

Ac ne hoc quidem silentio praeterire debeo, generum meum³⁾, Dominum Iohannem Albertum Ducem Megapolensem, his diebus legatum ad me suum misisse. Qui mihi verbis Illustritatis eius retulit pervehementer sane Illustritatem eius perturbatam fuisse, quod longe incertissimum de archiepiscopatu Rigensi responsum accepisset, cum nihil certius quam ipsam traditionem tandem securoram esse persuasum habuerit. Hinc S. Regia Vestra Maiestas secum aestimare facile potest, quid animi Illustritati eius futurum esset, si S. Regiam Vestram Maiestatem eam exsolvendi militibus stipendii rationem, ut praefecture archidiaecesis oppignorandae sint, iniisse cognosceret. Alienatam certe S. Regiae Vestrae Maiestatis nonnihil a se voluntatem esse Illustritatem eius suspicaturam verisimile est.

Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem etiam atque etiam oro, ut quovis alio pacto potius militi satisfaciat, neque postremae curae habeat, ut archiepiscopatus quam minime imminuatur. Fertur enim S. Regiam Vestram Maiestatem nuper adhuc Palatini Russiae filio, Magnifico ac Generoso Nicolao Senowski⁴⁾, duas praefecturas, Ruigensem et Seswegensem, ad archiepiscopatum pertinentes, tradi mandavisse. Quod quidem propositum, praeterquam quod Duci Megapolensi omnem adipiscendi archiepiscopatus spem praescindere videtur, etiam ipsis ordinibus Livoniae, adeoque provincialibus omnibus, vix tollerabile est futurum, cum S. Regia Maiestas Vestra receperit se nullos alias magistratus, quam qui natione Germani essent, illis praefecturam. Quod ut obiter moneam, peto, S. Regia Vestra Maiestas non solum velit aequi bonique consulere, verum etiam, ne praefecturae archidiaecesis ita cum insigni eius provinciae ipsiusque Ducis Iohannis Alberti incommodo distribuantur, provide-re. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem se maxime dignam et provinciae illi salutarem, si qualecunque hoc meum consilium non im-probaverit, nam impensas in militem eum collatas optime se posuisse olim gaudebit etc. Datae etc.

Relatio Cancellarii⁵⁾
Idem legit, Principi placuit
Andreas Moncer Secretarius

- 1) *Gottardus Kettler.* 4) *Nicolaus Sieniawski iunior, filius Nicolai, palatini Russiae.*
2) *Ericus XIV* 5) *Ioannes a Kreitzen.*
3) *Ioannes Albertus dux Megapolensis Annam Sophiam, filiam ducis Alberti, uxorem duxit.*

N. 5859.

Ex Novo Castro, 1.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
rogat, ut regi persuadeat, quo militi Livonico, qui in obsidione et expugnatione Parnoviae fortiter pugnaverat, debita unius anni stipendia sine mora numerari et persolvi iubeat, ne – nisi hoc fiat – oblata nunc feliciter occasio contra Suecum pugnandi imprudenter pretermittatur.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 308-310 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Petro Miskowski, I Augusti anno etc. LXV.

Notum esse Reverenda Generositati Vestrae arbitramur de milite Suedico, quem Illustris Curlandiae Dux¹⁾ etc. anno praeterito non solum permissu, verum etiam iussu S. Regiae Maiestatis, Domini

nostri clementissimi et consobrini charissimi, stipendiis Polonicis in Livonia conduxit, quam fortiter is in obsidione et expugnatione Par-noviensi se gesserit. Quia vero perlatum ad nos est S. Maiestatem Regiam eidem militi fere unius integri anni stipendum debere, solutionem autem nihilominus aliis atque aliis procrastinationibus etiam hodie adhuc de die in diem extrahi, aestimari a quovis mediocriter saltem sano facile potest, quid animi nunc miles iste et habeat et in posterum habiturus sit, dum a S. Regia Maiestate adeo se negligi animadvertisit. Nos quidem, cum prospiciamus id S. Maiestati Regiae non tantum non satis honorificum, verum etiam valde incommodeum et periculosum esse, pro nostra erga S. Regiam Maiestatem fide, quam in omnibus rebus quam maxime constare volumus, facere non potuimus, quin literas ea de re ad S. Regiam Maiestatem, quas Reverenda Generositas Vestra procul dubio visura est, daremus. Etsi autem ad primores quosdam Polonos et Lithuanos, ut quisque autoritate apud S. Regiam Maiestatem valere nobis visus est, ut et ipsi S. Maiestati Regiae ad persolvendum militi Livonico stipendum hortatores suasoresque esses velint, diligenter scripserimus, tamen cum Reverenda Generositate Vestra id in primis agendum esse existimamus. Nam et S. Regiam Maiestatem consilio Reverendae Generositatis Vestrae tanquam viri prudentissimi libentissime uti, et Reverendae Vestrae Generositatibus existimationem, amplitudinem, salutem et utilitatem tum ipsius S. Regiae Maiestatis, tum Regni et terrarum eius, praecipue maximae curae esse nemo est qui non norit.

Quam ob rem Reverendam Generositatem Vestram etiam atque etiam maiorem in modum rogamus, velit in hanc curam omnibus nervis incumbere, quo S. Regia Maiestas militi Livonico citra longiorum moram stipendia numerari atque exsolvi iubeat. Ne si hoc non fiat, rei contra Suecum bene gerendae divinitus quasi oblata occasio temere imprudenterque praetermittatur atque ea omnia, quae hucusque cum multo sudore, labore et sanguine recuperata sunt, milite non accepto stipendio ad arma tractanda remissiore facto, hostibus vicissim diripienda occupandaque obiificantur, quodque nunc fere nullo negotio exiguo hoc et minime sumptuoso apparatu confici potest, postea sera et intempestiva paenitentia non absque dedecore turpiter neglectum esse dolendum sit. Qua de re ut Reverenda Generositas Vestra plenius cognoscere possit, ad litteras nostras ad S. Maiestatem Regiam scriptas eam remittimus, amanter petentes, ut Reverenda Generositas Vestra, si hae aliquanto liberius scriptae videbuntur, in deteriorem partem non accipiat. Magnitudo enim rei et noster erga S. Regiam Maiestatem et inclitum Poloniae Regnum amor hoc, qualemunque id est, a nobis extorsit. Quod si Reverenda Generositas Vestra nos in hac re impetranda (uti confidimus) quam diligentissie adiuverit, factura in eo est rem officio suo in primis

dignam, ad dignitatem autem S. Regiae Maiestatis terrarumque illius salutem magnopere pertinentem. Cupimus Reverendam Generositatem Vestram diu in columem conservari. Datae ex Novo Castro etc.

Commissio Principis propria, praesente Cancellario²⁾,
Doctor Jonas legit
Enoch Baumgartner

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5860.

Ex Novo Castro, 2.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Luca Martinide Mundio, proconsule Vilnensi.*

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 311 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Chariſſime.

Honestus Lucas Marcinides, proconsul Wilnensis, iterum mihi supplex est factus in causa, quam cum senatu Vilnensi habet. Ne autem odiosa et longa epistolae lectione S. Regiae Vestrae Maiestati molestus sim, mitto hisce inclusum supplicem illius libellum, petoque submisso, ut S. Regia Vestra Maiestas ex iusto et aequo causam illius iudicari et determinari iubeat, ut et S. Ro. Imperatoriae Maiestatis¹⁾ intercessorias literas, quarum mihi exemplum exhibuit, et meam quoque commendationem sibi profuisse intelligat. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem erga hunc exulem regia clementia dignam et mihi quovis obsequi genere demerendam. Quod reliquum est, S. Regiam Vestram Maiestatetm feliciter valere exopto. Datae.

Ex relatione Cancellarii²⁾

In folio separato: Regi Poloniae etc. Pro Luca Mundio, 2 Augusti anno 65.

1) *Maximilianus II.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5861.

S.l., 2.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
aliquot M.D.L. primoribus
causam Lucae Martinidis Mundii, proconsulis Vilnensis exulis, com-
mendat (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 312 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5862.

S.l., 2.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
aliquot R.P. et M.D.L. primoribus
rogat, ut regem hortentur, quo militibus Livonicis, qui in obsidione et
expugnatione Parnoviae fortiter pugnaverant, debita stipendia
quam celerrime numerari iubeat, et exponit incommoda ac damna,
quae ex neglecta solutione exoriri possint.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 313-314 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Scire Magnificentiam Vestram arbitramur de milite Suedico, quem Illustris Dominus Curlandiae Dux¹⁾ etc. S. Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi iussu et manda-
to anno proxime abhinc elapso in Livonia Polonicis stipendiis condu-
xit. Neque obscurum quoque esse Magnificentiae Vestrae putamus, quam fortiter is se gesserit in obsidione et expugnatione Parnensi. Quia vero nobis relatum est debere S. Regiam Maiestatem eidem
militi fere totius anni stipendum, longisque procrastinationibus solu-
tionem in hoc usque tempus extractam esse, facile Magnificentia
Vestra intelligit, quid animi miles iste habeat.

Itaque pro fide nostra S. Regiae Maiestati debita facere non
potuimus, quin ea de re literas, quarum exemplum hisce adiectum
Magnificentiae Vestrae mittimus, ad S. Regiam Maiestatem dare-
mus, amanter petentes, quandoquidem Magnificentiae Vestrae salu-
tem et commoda Regni terrarumque S. Regiae Maiestatis non minus
ac nobis curae esse scimus, velit Magnificentia Vestra hortator et
suasor esse, ut S. Regia Maiestas militibus Livonicis stipendia debita
quam primum numerari et exsolvi iubeat, ne si hoc non fiat, occasio

rei bene contra Suecum gerendae, divinitus quasi oblata, negligatur atque omnia ea, quae multo sudore et labore recuperata sunt, milite non accepta solutione ad pugnandum remissiore facto, direptionibus hostilibus pateant, illudque, quod tempore commodissimo iam parva manu confieri potest, posthac sera paenitentia dolendum sit. Factura in eo Magnificentia Vestra rem se dignam, S. Regiae Maiestati terrisque illius omnibus salutarem, nobis vero gratam. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram rectissime valere optamus. Datae.

Relatio Cancellarii²⁾
Idem legit et Princeps audivit

In folio separato: Ad primores aliquot Poloniae et Lithuaniae, 2 Augusti anno 65.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5863.

S.l., 4.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
reginae Galliae [Catharinae Mediceae]
adulescentem Georgium Kinwangium, cubicularium suum, excolendi
animi causa in Gallias proficiscentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 314-315 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5864.

Ex Nova Domo, 4.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,
notum facit se litteras eius, quibus pro Thoma ab Embden intercedebat,
accepisse et nuntiat eundem Thomam praeterito anno a duce Cur-
landiae et postea ab ipso rege sibi commendatum esse; ad ducis
Curlandiae intercessionem se ei 340 mansos agri donasse significat,
quibus ipsum contentum esse sperat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1954.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 174r-v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5865.

Ex Nova Domo, 4.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

N. Uchański

nuntiat se servitori suo Bernardo Pohibel mandasse, ut in villam et bona, a Gabriele Tarlo sibi testamento legata, se conferret et de eis diligenter sciscitaretur omniaque accurate investigaret; rogat, ut non solum fidem ei habere velit, sed etiam in investigatione eiusmodi recte peragenda auxilio et consilio adsit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 174v-175 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5866.

S.l., 5.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut sibi liceat praefecturas Polangensem, Crettingensem et Garsensem in Samogitia sitas, hucusque Reinholdo Krakau (vel Crocau) oppignoratas, qui eas diutius tenere non vult, assensu regis iure hypothecario ab eodem Krakau suspicere.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 317-318 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5867.

S.l., 5.VIII.1565

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

rogat, ut hoc quoque anno a rege impetrat litteras immunitatis a vectigalibus pro 400 bobus in usum aulae suae in Russia emptis et in Ducatum suum pellendis, easque per veredarium suum quam citissime mittat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 316 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

S.l., 8.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*notum facit se, licet ipse hoc tempore de maiore apparatu bellico cogitare
debeat, ad regis tamen petitionem copiam quandam pulveris tor-
mentarii mandatario regio tradi iussisse, et rogat, ut rex eius restitu-
tionem ex Gedano quam primum demandet.*

Cfr. El. XXXII, N. 986.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 318-321 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Chari-
rissime.

Redditae mihi sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, quibus sibi ducentos centenarios pulveris tormentarii ad tempus atque ea conditione impartiri postulat, ut de eius generis pulvere, qui ex S. Regiae Vestrae Maiestatis mandato Gedani paratur, tantundem mihi restituantur. Quia vero varii ex Germania de conscripto exercitu ad me rumores perferuntur, ut ipse rebus meis caute invigilare admonear atque de maiore ad rem armamentariam apparatu mihi cogitandum sit, tamen ne S. Regiae Vestrae Maiestatis postulatis prorsus abnuisse videar, iussi de pulvere meo tormentario sexaginta centenarios, quibus hoc tempore aegre sane carere possum, huic S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatario ea, ut ad me perscripsit S. Regia Vestra Maiestas, conditio ne tradi. Libenter autem copiam eius maiorem mitterem, nisi meis met rationibus in pari fere necessitate mihi consulendum esset. Vix enim tantum pulveris in promptu reservo, quantum S. Regiae Vestrae Maiestati imparti or. Idcirco submisso peto, ut S. Regia Vestra Maiestas eius restitutionem ex Gedano clementer ac quam primum demandet. Sine magno enim meo incommodo pulvere tormentario, ad usus S. Regiae Vestrae Maiestatis misso, carere nequeo, praesertim cum salis nitri tanta nunc sit penuria, ut maioris quam unquam antea veneat. Emebar tur ante paucos annos centenarius nitri purefacti pro undecim et duodecim florenis, nunc venditur 15 florenis non purefactum. Pari quoque modo pulvis tormentarius cariore pretio nunc venditur. Centenarius enim 13 et 14 florenis emptus, nunc venit 19 flor., crescitque illius pretium de die in diem.

Quare enixe peto, ut S. Regia Vestra Maiestas sexaginta centenarios hosce, quos illi mitto, per mandatarios suos sine procrastinatione aliqua hic mihi reponi iubeat. Rem quoque S. Regia Vestra Maiestas per necessariam fecerit, si artificibus, quorum opera in conficiendo pulvere hoc utitur, sumptibus necessariis subvenerit, multo autem

minus solutionem illis debitam procrastinet aut extrahat. Bellum enim gerere volenti scit S. Regia Vestra Maiestas non modo opus esse belli nervo, sed rebus quoque omnibus ad rem armamentariam pertinentibus. Quod autem horum S. Regiam Vestram Maiestatem submoneo, qui Gedani est, etiam mandante S. Regia Vestra Maiestate solutionem se pro multis centenariis pulweris adhuc non recepisse ac cogi se ad contrahendum aes alienum magno suo damno. Ea res facit homines eos non modo ab opera remissiores, sed etiam prorsus alienos. Itaque permagni interest S. Regiae Vestrae Maiestatis, ut debita operariis solvantur, vel ante absolutum etiam opus summa aliqua pecuniae in promptu illis permittatur. Erit hoc cum S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitate coniunctum et ad rei bene gerendae oportunitatem valde accommodum. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi faxit, ut S. Regia Vestra Maiestas salutaribus ducta consiliis incolumis et salva feliciterque in expeditionem eat, felicissime autem hostibus devictis redeat. Tandem senilia mea et ad extremum usque vitae halitum fidelia et sinceri servitoris obsequia S. Regiae Vestrae Maiestati submissae offero et defero. Datae.

Relatio Dargitzii¹⁾
Principi placuit

In folio separato: Regi Poloniae, die 8 mensis Augusti anno 65.

1) Caspar Dargitz, *secr. ducis Alberti.*

N. 5869.

S.l., 8.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wotlowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
pro novis sibi communicatis gratias agit; expeditionem contra Moscum
faustum et fortunatam regi exoptat; nuntiat se a rege id rogatum,
licet pulweris tormentarii magnam copiam ipse non habeat, manda-
tario regio sexaginta centenarios pulweris tradi iussisse; rogat, ut
Wotlowicz, sponsor hac in re a rege constitutus, restitutionem pul-
veris diu non differat.*

Ostrpr. Fol., vol. 57, ff. 321-323 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Gratum nobis est Magnificentiae Vestrae studium, quod subinde nobis nova communicat. In quo cum non postrema Magnificentiae Vestrae erga nos propensissimi animi voluntas eluceat, daturi sumus operam, ut per omnem occasionem benevolentiam ei vicissim nostram declaremus.

Quod ad expeditionem S. Regiae Maiestatis contra Moschum attinet, illam S. Regiae Maiestati Suae eiusque exercitui salvam, faustum atque omni ex parte fortunatissimam esse optamus. Faxit Deus, ut S. Regia Maiestas Sua salutaribus consiliis rem hanc militarem aggrediatur et perdomito hoste vitor redeat.

De pulvere tormentario S. Regiae Maiestati Suae impariendo intelligimus, quid nobis de restitutione illius Magnificentia Vestra polliceatur. Eius tametsi apud nos non usque adeo abundans est copia, tum quod in omnem eventum praesentium temporum iniquitas rationibus quoque nostris consulere nos monet, tamen ne defuisse Reipublicae et S. Regiae Maiestatis necessitati videamur, mandavimus, ut huic S. Regiae Maiestatis mandatario eius pulveris sexaginta centenarii tradantur. Amanter autem Magnificentiam Vestram rogatam habemus, ut ex pulvere Gedani parato boni valoris tantundem hic nobis primo quoque tempore restituatur. Sponsorem enim hac in re et debitorem Magnificentiam Vestram ex literarum illius ad nos datarum obligatione recipimus. Quae quo citius nobis satisfecerit, eo erit nobis gratius. Aegerrime enim hoc tempore tormentario pulvere carere possumus, cum difficulter et gravioribus quam antea sumptibus propter nitri penuriam nunc paretur. Venit enim nunc centenarius 19 florenis, cum ante paucos annos emeretur 13 etiam, 14 florenis. Nitrum quoque in magno iam est pretio. Purefacti centenarius veniebat 11 vel 12 florenis, nunc impuri centenarius emitur 15 florenis.

Quam ob rem amanter petimus, ut restitutionem pulveris non diu Magnificentia Vestra differat, suasorque S. Regiae Maiestati sit, ut quae de artificibus pulveris tormentarii deque solutione illis debita praestanda ac prae manibus, ut dicitur, aliqua pecuniae summa illis submittenda monemus, non negligat. Experientia enim nos ista scribere ac monere S. Regiam Maiestatem iubet. Est enim haec res bellum gerere volenti non minus curanda atque in promptu habenda, quam ipse belli nervus. Atque haec Magnificentiae Vestrae rescribenda esse duximus, amanter petentes, velit Magnificentia Vestra subinde de expeditione et statu hoc erga Moschum militari ad nos perscribere. Factura nobis rem valde gratam et benevolentia nostra demerendam. Cupimus tandem Magnificentiam Vestram rectissime valere. Datae.

Principi placuit
Relatio Dargitii¹⁾

In folio separato: Eustachio Wolowitz, die 8 mensis Augusti anno 65.

1) Caspar Dargitz, *secr. ducis Alberti.*

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarlo, castellano Radomiensi, et Nicolao Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,

litteras eorum una cum duabus aureis catenis et equis, sibi a defuncto Gabriele Tarlo, eorum patruo, testamento legatis, se accepisse nuntiat et pro eis gratias agit; de morte eiusdem patrui eorum dolet; explicat, cur ipsorum petitioni (ut scil. bonis Góry et villa Vilnae sita, sibi etiam a patruo eorum legatis, ipsis cedat) satisfacere non possit.

Cfr. El. XLI, N. 1968.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 175-176 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An Johan Tarlo und Nicolai Tarlo, den 8 Augusti 65, Newhaus.

Wir haben ewer schreiben, zu Cracaw den 6 tagk Julii datiret, neben den two guldenen ketten und rossen, so uns der edle und ehrnveste, unser etwan besonder lieber her Gabriell Terla, ko.mt. zu Polann etc. hofmeister, castellan zu Radom und heuptman zu Chelm etc., ewer geliebter her vetter gottseliger gedechtnus, in seinem testament und letzten willen aus gar trewer hertzlicher zuneigung, lieb und wolmeinung, damit ehr iederzeit bis in seine gruben gegen uns und wier one ruhm in gleichen gegen ihnen vorfaren und wir einander zugethan gewesen, vormacht, empfangen, inhalts lesende eingenommen und under andern daraus vorstanden, welchermassen ihr uns wolgedachts ewers vettern sehligen tödlichen abgang, und das euch derselbe schmertzlich, erinnert, auch ferner umb das gutt Gori und den hof in der stadt Willa, welchen uns bemelter ewer vetter auch vortestamentiret, euch solches aus gnaden zu schencken bitten thut.

Nun sollelt ihr uns gewisse gleuben, das uns der tödliche abgangk wolgedachtes ewers vettern, hern Terlen seligen, nichts weniger als euch zum schmertzlichsten zu vornehmen. Hetten ihme auch, do es Gottes und ihme gefelliger wille gewesen, wol gönnen und von seiner göttlichen almacht hertzlich wuntschen mugen, das ehr nach eine zeitlang am leben gefristet und dieselben gutter, wan wir ihm auch gleich nach zehnmal soviel darzu geben sollen, so ehr uns und andern vortestamentiret, noch eine zeitlang selbst gebraucht hette. Weil es aber Gott nach seinem ausersehnen willen also gefallen, will demselben stille gehalten sein.

Fur die ubersandten uns vortestamentirte 2 ketten und rosse sagen wir euch gnedigen danck, mit angehaftem gnedigem erbieten, solchs in thuelichen gnedigist zu beschulden. Was aber ewer bitten wegen des guts Gori und des hofes in der Willa anlangt, in dem wehren wir euch, do es ein andere gelegenheit darumb hette und das uns solches nicht von so unserm vortrawesten wolmeinenden und

zum gedechtnus gepflogener trew vormacht und vor testamentiret, zu willfaren nicht ungeneigt. Weil es aber die gelegenheit und das uns solche ewers vettern sehligen vormachtnus also angenehme, als wehre uns dieselbe etwan von dem negsten unserm blutsfreundt widerfaren und darumb auch, wie billich, bey uns und unserm geliebten sohn zum starcken gedechtnus, nimmermehr, solang ein iedes stuck, wes uns dessen vor testamentiret, seiner ahrt nach wehret, vor lassen oder abhengig machen sollen noch wollen. So sinnen wier gnedigist, ihr uns aus ahn gezogenen ursachen entschuldiget nehmen wollet etc. Und obwoll wolgedachter eurer vetter sehliger, wie ir schreibet, fast alles vorgeben und euch vor lassen haben magk, so wollen wir doch nicht zweifeln, ehr werde ewer dannost sogar nitt vorgessen, sondern also vor sehen haben, darob ihr seine frommigkeit empfunden.

Ewer erbieten, das ihr in die fusstapfen ewers vettern sehligen treten und wie derselbige gethan, euch gegen uns aller dinstwilligkeit befleissen wollet, nehmen wier zu gnedigem danck auf und ahn, mit angehaftem erbieten, solchs umb ewre person in gnaden zu beschulden. Und haben euch solches zu gnediger andtwort etc.

D[avid] Gericke

N. 5871.

S.l., 8.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Lysakowski, castellano Lubaczoviensi,
pro litteris, Cracoviae 7.VII. datis, quibus de bonis Góry et villa Vilnae
sita, a defuncto Gabriele Tarlo sibi testamento legatis, gratias agit
et nuntiat se brevi unum ex servitoribus suis illuc missurum esse.
(Germanice)*

Cfr. El. XLI, N. 1970.

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 176v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5872.

S.l., 8.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Sierakowski, castellano Landensi, Nicolao Lysakowski, castellano Lubaczoviensi, Andreea Gniewosz, tenutario in Warki et Grodziec, et Stanislao Miłoszewski, aulico regio,
nuntiat se binas litteras eorum, alteras Cracoviae 6.VII., alteras Radomiae 21.VII. datas, accepisse et ex eis cognovisse sibi a defuncto Gabriele Tarlo duas aureas catenas, octo equos, villam Vilnae sitam*

et bona Góry testamento legata esse; scribit eiusmodi legatum eo gratius et iucundius sibi fore, quod a sincerrimo amico proficiscatur.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, NN. 1969, 1973.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 176v-177v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5873.

S.l., 9.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

nuntiat se Casparem Brzozowski, a regina commendatum, in numerum servitorum suorum accepisse, et sperat eum honeste et decenter se gesturum esse.

(Germanice)

Cfr. El. XXXII, N. 987.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 177v-178 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5874.

S.l., 9.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Stanislaw Miłoszewski, aulico regio,

nuntiat se ab Erhardo a Kunheim certiores factum esse de exemplo legati testamentarii Gabrielis Tarlo, quo bona Góry et villam Vilnae sitam sibi legasset, ab ipso ei transmisso, et rogat, ut sibi perscribat, quando Vilnam adventurus sit, quo servitorem suum, villam et bona sibi legata ab eo recepturum, illuc mittere possit.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1972.

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 178 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5875.

S.l., 10.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Osvaldo Baldner (Paltner), armifactori regio,

excusationem eius de armis sibi conficiendis nondum paratis clementer acceptat et rogat, ut expeditionem eorum acceleret.

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 183.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 180v-181 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5876.

S.l., 19.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
Fridericum ab Aulack, consiliarium suum, in quibusdam negotiis ad
eam mittit et rogat, ut ipsi nomine suo dicenti plenam fidem adhi-
beat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 178v (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5877.

S.l., 24.VIII.1565.

*Albertus dux in Prussia
Petro Barzi, castellano Premisiensi,
Salvatoris imaginem et fonticulum ex succino factum dono mittit.*

Cfr. El. XLI, N. 1975.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 325-326 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice sincere nobis dilecte.

Etsi quidem nuper, cum internuntius Magnificentiae Vestrae nobiscum esset, nihil elaborati succini, quod mittere Magnificentiae Vestrae iter in Hispanias paranti potuissemus, ad manus habuimus, non desimus tamen internuntio Magnificentiae Vestrae etiam nunc profecto, si quid eiusmodi succini possemus investigare, ne forte Magnificentia Vestra frustra a nobis id petiisse videretur, quam diligentissime perquirere, ac tum quidem hanc Salvatoris imaginem fonticulumque nacti sumus. Ideoque tantum, quantum diligenti investigatione accepimus, Magnificentiae Vestrae mittendum esse existimavimus. Id ut Magnificentia Vestra, tametsi perexiguum est, grato animo a nobis accipiat bonique consulat, amice rogamus, omnino statuens nos, si aliquid pretiosius in eo genere in promptu habuissemus, Magnificentiae id Vestrae, pro nostra erga ipsam singulari voluntate ac benevolentia, minime denegatueros fuisse. Quod reliquum

est, a Magnificentia Vestra amanter petimus, ut suum quoque erga nos filiumque nostrum animum conservet. Cui quidem ut constitutum iter quam felicissime conficiat, toto pectore optamus. Datae.

Relatio Cancellarii¹⁾

In folio separato: Petro Barzi, die XXIIII Augusti anno 65.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5878.

Ex Novo Castro, 24.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Wolski, ensifero Cracoviensi,
pro subdito suo Thoma Koss, cive Regiomontano, ut debitam ipsi pecuniae summam citra procrastinationem aliquam tandem ei exsolvat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 323-325.

N. 5879.

S.l., 28.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
refert de subdolis Lubecensium et magistri Ordinis Theutonicorum machinationibus, ad Ordinem in Livonia, auxilio etiam magni ducis Moscorum accidente, restituendum tendentibus; nuntiat praeterea eosdem Lubecenses, propter defectionem Revaliensium, capienda Revaliae et Rigae etiam sub potestatem suam accipiendae spem concepisse.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 326-330 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

Regi Poloniae, XXVIII Augusti anno etc. 65.

Cum de cunctis rebus, quae adversus S. Regiam Vestram Maiestatem et hanc patriam quounque rumore attentari dicuntur, pro mea erga S. Regiam Vestram Maiestatem fide et soleam et debeam referre, non potui etiam hoc tempore, quae de subdolis quorundam machinationibus ad me allata sunt, S. Regiae Vestrae Maiestati non communicare. Est enim fama, quanquam adhuc quidem minime

vulgaris, Lubecenses cum Magistro Ordinis Teutonici¹⁾ summo animorum consensu de restituendo in Livonia Ordine, eoque prospere confecto, de vi finitimus quoque inferenda consultare, qua de re cum quodam Iohanne Wagnero, qui nuper cum quibusdam aliis legatis Magistri Teutonici in Masovia fuerit, multos variosque sermones contulisse eumque Lubecae arcano consilio adhibusse ac hanc rei feliciter gerendae (quod omen Dominus Deus avertat) rationem invenisse dicuntur. Nempe cum Moschorum Imperator²⁾ missae ad se legationi satis humaniter respondisset, si intelligeret ac experiretur eam rem Ordini fore curae, ita ut ipsi initium eius facerent ac uti voluntate, sic et facto ipso de amissis, quae vel Rex Sueciae³⁾ vel S. Regia Vestra Maiestas hac tempestate obtineret, recuperandis recipiendisque cogitarent, optatusque eventus conatus ipsorum sequeretur, tunc non auxilium tantum se Ordini laturum, verum etiam quae per vim Ordini ademisset redditurum, Ordinem Teutonicum instauraturum perpetuumque foedus adversus S. Regiam Vestram Maiestatem ac ceteros Ordini non satis bene cupientes initurum.

Cum itaque Revalia a Suecorum Rege hoc tempore, dum nec verbis promissa, nec literis diplomaticisque confirmata servaret, supra modum gravata ad defectionem inclinare diceretur, arbitrari Lubecenses pulcherrimam se capienda Revaliae occasionem nactos, quin et Rigae sub potestatem accipiendae ideo sibi spem eos facere audere, quod civitas Rigensis ad tot suas sollicitationes hasque consecutas pollicitationes certum et expectatum suorum negotiorum finem impetrare non potuisset. Qua quidem de re Rigenses graviter saepe quererentur. Iis ex sententia gestis, statuisse Lubecenses captas urbes Ordini deferre, eique hoc pacto rei Livonicae instaurandae ansam quasi praebere, quo deinceps Moschus de Ordine in integrum restituendo (quod se facturum recepisset) ulterius cogitare eamque rem laudabiliori specie urgere posset. Lubecenses autem singularis aliqui in Livonia immunitatis libertatisque spem ob tam praeclarum facinus fovere. Etsi quidem difficilior aliquanto videtur earum rerum gerendarum confiendarumque ratio, tamen quae huius saeculi ad fraudem insidiasque prompta industria est, non prorsus contemendas esse existimo.

Quam ob rem S. Regiae Vestrae Maiestati, qualiacunque ista essent, pro meo erga ipsam amore ac fide significanda esse duxi. Neque dubito, quin S. Regia Vestra Maiestas prudenter statuat praevertendum potius esse periculum aliquod, dum adhuc absit, quam cum iam advenerit viresque sumpserit, avertendum. Ego quidem, ut S. Regia Vestra Maiestas id sibi persuasissimum habeat ac sibi non postremae curae esse sinat, pro mea tenuitate et consulo et maiorem in modum peto. In primis autem S. Regia Vestra Maiestas in eas cogitationes incumbat, ut cum Rigensibus tandem transigatur, ne

ipsis ulla caussa merito querendi, multo minus desciscendi, reliqua facta cuiquam videatur. Cum Revalienses etiam iugi Suedici pertaesи esse perhibeantur, faceret S. Regia Vestra Maiestas rem sibi non minus gloriosam quam utilem, si ipsa prior, quomodo ad deditio[n]em facienda moveri aut cogi possint, consilium iniret, ne si Ordo vel quisquam alius ea urbe potiatur, S. Regiae Vestrae Maiestati plus negotii quam hactenus faciat. Res autem Rigensium clementer transacta Revaliensium animos haud parum S. Regiae Vestrae Maiestati esset conciliatura. Quae quod S. Regiam Vestram Maiestatem mo[re]neam, peto, ut ipsa aequi bonique consulat, suumque erga me, vasalum suum, propensum animum clementer conservet. Datae.

Cancellarius²⁾ legit
Enoch Baumgartner

1) *V Wolfgangus Schutzbar.*

2) *Ioannes IV Basilides, m. dux Mosco-viae.*

3) *Ericus XIV.*

4) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5880.

Ex Nova Domo, 29.VIII.1565.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

de reginae statuta Viennam profectione dolet et sperat eam brevi ad «dominum suum» venturam esse; quod se coram non visitaverit, sed per litteras tantum salutaverit, cum tam prope fuerit, miratur et moleste fert, eius tamen excusationem clementer acceptat; rogat, ut per occasionem sui, filii sui, terrarum et subditorum suorum reginae recordetur, quo causam suam abrogandi banni imperialis imperatori commendare velit et ipse hac molesta proscriptione tandem liberetur.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 178v-180 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

An Eckhart Kunhaim, den 29 Augusti anno 65.

Wir haben dein schreiben, datirt Neydenborgk den 20 Augusti, den 23 desselben monats alhie zum Newenhaus empfangen und daraus vernommen der cum titulo königin zu Polen¹⁾ abzugk nach Wien und worumb du uns nicht persönlich ersuchen und sprechen khönnen, sonder allein schriftlich gesegnen und dich erbieten wollen. Nun tragen wir ob der kö.mt. abzug ein herzliches kummernus und leit, nicht allein darumb, das ihre mt. nunmehr uns fast weit kommen,

darumb wier der gantz gnedigsten erzeugung und vorhaltung gegen uns zum teil entraten werden mussen, sonder vielmehr darumb, das wir unsers gnedigsten hern und freuntlichen lieben ohaim herzlichste gemael nicht bey ihrem hern noch in derselben landen, sonder so weit voneinander wissen sollen. Aber dieweil es Gott und allein irer mt. also gefellig, müssen wiers seiner almacht, wie khummerlich es auch uns gefelt, heimstellen, seine almacht herzlich bittende, die wolle ir kö.mt. gleiten, furen, von argen behutten und gnad geben, das ihr kö.mt. in khurtzen mit grossen freuden wiederumb zu ihrem herren gelangen und in herzlicher lieb und ehelicher trew zu langen jharen miteinander in friedt und Gottes segen wonende und lebende ihr endt chrstilich alsdann nach Gottes willen schlissen mugen. Amen.

Das du uns aber nicht ersuchen und sprechen khönnen, hetten wir uns zu dir, weil du uns so nahendt kkommen, gar nicht vorsehen, sintermall in tag und nacht auf der post du solchen kleinen wegk leicht abreichen mögen und damit höflich in deinem dinste nichts vorseumet haben soltest, wie wir dan auch der hofnung, die kö.mt. damit gnedigst zufrieden gewest sein sollte. Weil es aber nicht sein mugen, müssen wirs an seinen ort stellen. Nehmen gleichwoll dein gesegnen, wuntschen, erbieten und bevehlen zu gnaden auf und ahn, seindt davor gnediglich danckbar und wie wier uns zu dier bishero aller underthenigsten dinst und trewe vorsehen, also wollen wier eines solchen standhaftigen hertzen bey dir gewiesslich uns getröstten und verhoffen, du werdest (des wier in gnaden an dich begeren) unsrer, unsers geliebten sohnes²⁾, auch landt und leut bestes bey der ko.mt. per occasionem unaufhhörlich zu gedencken, zu fördern und fortzustellen nicht vorgessen, sunder anhalten, das ire mt. unsere, auch unsers geliebten sohnes gnedigste fraw und mutter sein und bleiben, auch unsere sachen der beschwerlichen acht und frenckischen lehen der cum titulo kay.mt.³⁾ de meliori nota commendiren, sich bevohlen sein lassen und gnediglich dohin handeln wolte, das wier einmal der unvordinten acht entfreyet und unserer gerechtigkeit an Francken habhaft werden mögen. Do auch sunsten ir kö.mt. unser und unsers sohnes bey ihren hern und brudern im besten gedencken und dorzu befordern köndten, und du ein solches deiner bescheidenheit nach fuglich sein köndte oder möchte vormercken werdest, machen wirs uns keinen zweifel, du deinem erbieten nach dich den trewen vorhalten und uns irer kö.mt. guten, glucklichen und gesundten zustandt, den wier derselben hertzlich wuntschen und von Gott bitten, also auch was iederzeit vohrleuft und uns zu wissen oder zu vortrawen ziemblich, eröfnen und mittheilhaftig machen werdest, das wier hinwiederumb ihrer ko.mt. und dem kaiserlichen haus Osterreich, wie unsere vorfare in gleichnus trewlich gethan, mugliche dienste thun

khöndten, so wehren wier darzu zum hochsten gemeinet. Wollen auch mit Gottes gnediger hulf unsern sohn dahin ziehen und halten, das s.l. sich dergleichen die zeit ihres lebens trewlich und zum hochsten beveissigen solle. Und hast dich zu uns in gleichnus aller gnaden in thuelichem zu vorsehen. Das wir dir auf dein schreiben etc. Datum Neuhaus.

Principi audienti sic placuit
Johan von Creitzen
Cancellarius

- 1) *Catharina.* 2) *Albertus Fridericus.*
 3) *Maximilianus II.*

N. 5881.

Ex Novo Castro, 3.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ivano Jautzik (sic in ms.), capitaneo Caunensi,
pro subdito suo Georgio Drenghals, cive Regiomontano, cui nobilis
Andreas Ilgowski, prope Caunam residens, nonnullam pecuniae
summam debet, intercedit et rogat, «ut pro suo munere, quo fungit
tur, ad faciendam citra moram solutionem praefatum nobilem
adigat» («ne, si id non fiat, nos alia quapiam via subdito nostro
subvenire habeamus necesse»).*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 334-335 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5882.

S.l., 3.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Miloszewski, aulico regio,
sperat eum iam Vilnam advenisse et legatum suum Georgium ab Haug-
witz, capitaneum Tilsensem, istuc mittit et rogat, ut ei fidem habeat
et bona Góry et villam Vilnae sitam, a defuncto Gabriele Tarlo sibi
testamento legata, una cum originali legati testamentarii ei tradat.*

(*Germanice*)

Cfr. El. XLI, N. 1972.

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 180r-v (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5883.

S.l., 8.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

advocato Caunensi

*pro subdito suo Georgio Drenghals (Drienghals), cive Regiomontano,
ut in recuperandis 100 marcis ei a Bartholomaeo Rahe, cive Cau-
nensi, debitis ipsi adesse velint.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 270-271 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5884.

S.l., 12.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*suadet regi, ut militibus illis, qui prope Revaliam non exiguum Sueco-
rum numerum fuderant, debita stipendia exsolvi iubeat; rogat, ut
ducem Curlandiae in quibusdam negotiis ad regem propediem pro-
fecturum benigne audiat et clementer expediat.*

*(Schedula: de immanitate Ioannis Pawłowicz Podskarbowicz, qui
in fugitivos ei extraditos inaudita crudelitate usus est).*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 336-338 (et Conc., H, B, K. 1188).

Regi Poloniae, XII Septembris anno etc. LX.

Non dubito renuntiatum iam esse S. Regiae Vestrae Maiestati militem eum, quem S. Regia Maiestas Vestra in Livonia alit, ad civitatem Revaliensem levi proelio commisso non exiguum Suedorum numerum fudisse. Quia vero is miles utiliter et cum commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis hactenus in Livonia militavit, pro fide mea S. Regiae Vestrae Maiestati suadeo, ut illius clementem benignamque rationem habeat, praecipue autem ut debita illi stipendia exsolvantur. Erit hoc ex salute terrarum Livoniae, fractisque viribus Suedicis res Livonicae in tranquilliores statum eo citius redditurae sunt.

Ceterum, quoniam intelligo Illustrem Dominum Curlandiae Ducem¹⁾ fortassis nomine eiusdem militiae, aut privatis etiam in negotiis suis, ad S. Regiam Vestram Maiestatem propediem iturum esse, submisso peto, dignetur S. Regia Vestra Maiestas (tametsi hoc etiam

me non monitore facturam esse plane confido) Illustritatem Suam benigne audire rebusque in omnibus, ad communem Livoniae salutem et Suae Illustritatis commoda pertinentibus, optata expeditione clementem se Regem illi praebere. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem Illustritati Suae pergratam, mihi vero per omnem occasionem demerendam. Quod reliquum est, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae etc.

Andreas Moncer Secretarius

Schedula literis iniecta (cfr. *El. XLI, N. 1978*)

Ad postulata S. Regiae Vestrae Maiestatis Ioanni Paulowitz Potkarowitz²⁾ subditos suos fugitivos, in Ducatu meo inventos, extradi iussi. Is vero receptis illis in illos usus est tyrannide, a qua etiam infensissimos nominis christiani hostes sibi temperare crediderim. Subditas enim sexus feminini turpiter exceptas auribus et naso truncavit, plerisque nares discidit. Maribus autem pedes usque ad poplites seu genua amputavit, ut fugae memores, truncatis pedibus reptantes, aliis exemplo sint. Hanc illius immanitatem si praescivissem, ne bestiam, ut taceam hominem, illi extradi iussissem. Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem enixe oro, ne in posterum sibi tyrannum eum commendandum suscipiat. Salva enim conscientia et pietatis religione contradicente, nullum ei porro ex Ducatu meo subditum extraditus sum. In quo ut me S. Regia Vestra Maiestas excusatum habeat et tyrannidi tam crudeli ne subscribat, sed, sicut par est, illum coherceat, submisso oro. Factura rem Rege christiano dignam. Data ut in literis.

Andreas Moncer Secretarius

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Pawłowicz Podskarbowicz.*

N. 5885.

S.l., 18.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz et, mutatis mutandis, Gregorio Chodkiewicz pro subdito suo Balthasare Schleff, cive Regiomontano, cui cum Iudeo quodam Grodnensi controversia est, intercedit et rogat, ut auctoritatem suam pro eo interponat, quo subdito suo citra ullam dilationem integre tandem satisfiat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 338-339 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5886.

S.l., 19.IX.1565.

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Carolo IX]
adolescentem Rudolfum burggravium et baronem a Dohna, cubicula-
rium suum, «ad capessendum ingenii cultum et imbuendas in
aetate iuvenili honestissimas virtutes» in Galliam et alias exteras
regiones proficiscentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 340-341.

N. 5887.

S.l., 19.IX.1565.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Miłoszewski, aulico regio
pro studio et opera, in procurandis bonis, quae ex testamento Gabrielis
Tarlo sibi obvenerunt, diligenter navata, gratias agit; scire cupit,
«quinam sint reditus et proventus bonorum nobis legatorum
cum pertinentiis et attinentiis in specie universis».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 341-342 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5888.

S.l., 23.IX.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
litterae fidei pro consiliario suo, Venceslao Schack a Stangen-
berg.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 342.

N. 5889.

S.l., 24.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro subdito suo Georgio Drenghals, cive Regiomontano, cum subdito
regio Andrea Ilgowski, non procul a Cauna habitante, ratione debiti
cuiusdam negotium habente, intercedit et rogat, ut «pro sua, quam
in subditos suos habet, potestate, ipsum Illgowski ad faciendam
citra longius temporis intervallum solutionem adigi clementer
procuret».*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 343-344 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5890.

E Regio Monte, 25.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro regis litteris et curru cum equis, venationibus aptis, per internun-
tium regis, Ioannem Lissowski, sibi missis et a se reverenter accep-
tis, gratias agit.*

Cfr. El. XXXI, N. 993.

Ostpr. Fol., vol. 43. (et Conc., H, B, K. 1188).

Gnedigster und freuntlicher lieber herr und ohaimb.

E.Ko.Mt. schreiben, zu Grodno den eilften tagk dieses itzigen monats Septembbris datiret, ist mihr durch derselben gesandten Johannen Lissowsken behendiget worden, welchs ich nicht allein mit geburlicher undertheniger reverentz empfangen, sondern auch hochster begier und hertzlichem frolocken ob E.Ko.Mt. vorstandenen glucklichem wesen und zustandt vorlesen. Ob ich nun woll niemals anders gespuret, dann das E.Ko.Mt. mich ie und allewege mit königlichen gnaden gemainet und der nahen vorwandtnus nach mir woll geneigt gewesen, darob an derselben gnedigen gewogenheit ich nit den wenigsten zweifel gehabet, so ist mihr doch dis jungste gantz gnedige schreiben, doneben E.Ko.Mt. mich, iren alten diener, meines alters gelegenheit nach, mit einem wagen und etzlichen dafur gehörenden rossen gnediglichen vorehren, und damit ihr geneigtes gnediges gemut zuhm überflus gegen meine geringe nuhmehr undtuchtige person ercleren, zum höchsten erfrewlich

und angenehm gewesen. Thue mich auch dafur zum underthenigsten bedancken, und wolte dem allem nach nichts liebers wunschen, dann das gegen E.Ko.Mt. fur solche vielfaltige gnedigste wollthaten ich mich nicht allein mit worten, sondern auch in der that hinwieder danckbarlichen erzeigen khönte. Befinde mich aber und mein vormugen, auch das geringste zu beschulden, vielmall zu wenig und khann derselben dagegen nichts wieder anbieten noch vorehren als meine gehorsame, underthenige, pflichtschuldige dienste und trew, derselben sollen E.Ko.Mt. sich gewieslich bis in meine gruben zu mihr vorsehen, ungezweifelter hofnung, E.Ko.Mt. darob ein gnediges genügen tragen und den guten willen fur die that nehmen werden.

Das E.Ko.Mt. auch meiner gewogenhait mit dem jagen in gnaden gedencken, ist woll ahn deme, das ich darzu, soviell ich mihr von der regierung und andern wichtigen gescheften jeweilen abbrechen khonen, die tage meines lebens nicht böesen lust gehabet, mich auch umb ergetzlichait willen desselben gebrauchet, nuhmehr will mihr aber das alter dergestalt zusetzen, das ich mich vielen raisens fast nicht werde understehen dörffen. Jedoch soll mihr solche gnedigste königliche vorehrung nichts desto weniger hertzlichen lieb und wert sein. Und will verhoffen, der liebe Gott werde noch umb E.Ko.Mt. wolmainenden gnedigen wunsches willen mihr die vormogenhait und sterck vorleyhen, das E.Ko.Mt. zu gnedigstem wollgefallen ich denselben nutzen und gebrauchen muge. Und thue E.Ko.Mt. hiemit Gott dem allmechtingen in langwiriger bestendiger leibes gesundthat und glücklichen friedlichen regierung wieder alle feindliche anschlege gnediglichen zu erhalten, trewlichen empfelen, mit underthenigster bitt, E.Ko.Mt. mein und meines geliebten sohnes gnedigster und freuntlicher lieber herr, ohaim und vatter sein und bleiben, auch jederzeit unser bestes wissen und mit gnaden befordern wollen. Datum Königspergk etc.

Com. Princ. propria
Princeps diligenter auscultans approbavit
E[noch] Baumgartner

N. 5891.

S.l., 27.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
militibus, qui nunc in Lithuania sunt, stationes suas in oppido Jurbork
et Nowawola collocare volentibus, petit, ut curare velit, ne eorum
locorum incolae in praeiudicium inscriptionis hypothecariae ea
molestia premantur.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 344-345 (et Conc., H, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Perfertur ad nos milites eos, qui nunc in Lithuania sunt, magna ex parte suas stationes in oppidum Jurborg et Nowawola collocare velle. Quae res cum minime nobis sit tolerabilis et ab impignoratione hypothecaria aliena, neque S. Regia Maiestas, quod subditos eos attinet, aliud sibi in privilegio hypothecario reservaverit, quam ut inclusa habet scheda, facere non potuimus, quin eo nomine literas ad Magnificentiam Vestram daremus, amanter petentes, velit Magnificentia Vestra curare, ne in praeiudicium hypothecariae inscriptionis miseri subditi molestia ea premantur. Facile enim Magnificentia Vestra intelligit militem eum, depopulatis et consumptis rebus istic omnibus, nobis vacua et exhausta oppida relicturum esse. Quae si pacatis temporibus propter crebras contributiones nobis annum dare censem facultate destituentur, qui vis sanae mentis homo iudicare potest, aut nihil aut certe parum nos ex annuis censibus accepturos, ubi ad inopiam et summam paupertatem stationibus seu hiberniis militaribus redacti fuerint.

Factura itaque est Magnificentia Vestra rem impignorationi hypothecariae conformem, per se aequam, S. Regiae Maiestati dignam, nobis vero gratam, si authoritate sua subditos nostros hypothecarios indigna hac molestia liberaverit. Nos vicissim benevolentiam Magnificentiae Vestrae nostram contestari non intermittemus. Cupimus tandem Magnificentiam Vestram rectissime valere. Datae.

Relatio Burggravii¹⁾

In folio separato: Eustachio Wolowitz, die 27 Septembris anno LXV.

1) *Christophorus a Kreitzen, supremus burggravius Regiomontanus.*

N. 5892.

S.l., 30.IX.1565.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

*pro Ezechia Göppert, qui olim fratri suo Gulielmo, archiepiscopo Rigen-
si, et duci Curlandiae fideliter servivit, cum rege Sueciae negotium
habente (qui affirmat se ab eo famosis quibusdam libellis offendisse
esse), intercedit et petit, ut eum fratri suo, imperatori Maximiliano,
ita commendet, quo salvi conductus litteras consequatur, se ad
imperatorem conferre, innocentiam suam ostendere et sub impera-
toris patrocinium recipi possit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 183-184 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5893.

S.l., 30.IX.1565.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

*nuntiat se Ezechiam Göppert reginae Catharinae per litteras commen-
dasse et ab ea petivisse, ut pro ipso apud fratrem suum, imperatorem
Maximilianum, operam suam interponeret; rogat, ut et ipse apud
reginam agat, quo negotium huius boni et honesti viri imperatori
commendare velit (cfr. N. praeced.).*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 182v (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5894.

S.l., 4.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Gabrieli Grabowiecki, tribuno Lomzensi,
eum in locum defuncti Gabrielis Tarlo magistrum curiae reginalis a
rege subiectum esse gratulatur; propter morbum, quo oves suae hoc
anno correptae et partim confectae sunt, se non nisi anno sequenti
oves ab eo expetitas ipsi missurum esse pollicetur; de profugis rusti-
cis ei restituendis se ad praefectos suos Lecensem et Licensem
scripsisse nuntiat.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1977.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 349-350 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5895.

S.l., 8.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Stanislaw Ostroróg, castellano Międzyrzecensi,
pro litteris observantiae plenis et pro senilis aetatis suae sollicitudine
et cura gratias agit; valetudinis suaे statum, pro aetatis suaے qual-
itate, bonum esse scribit; de filio ei nato gratulatur.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 350-352 (et Conc., H, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice et Frater nobis multis nominibus dilecte.

Etsi quam plurimis antea argumentis singularem et sinceram Magnificentiae erga nos Vestrae animi propensionem ac fidele voluntatis addictissimae studium perspeximus, ut nihil eorum, quae ab amico nostri amantissimo proficiunt in nos hactenus potuerunt, desideratum in illa sit, tamen perhumanissimae Magnificentiae Vestrae literae, peculiariis cuiusdam observantiae in nos plenissimae, candorem et integritatem illius erga nos magis magisque confirmant. Quae omnia nobis de Magnificentia Vestra non possunt non esse gratissima, atque eo iucundiora, quod Magnificentia Vestra senilis etiam aetatis nostrae tanta sollicitudine et cura tangitur. Facit hoc ipsum Magnificentia Vestra ex abundantia amoris in nos sui et affectione plus quam fraterna, ut eo nomine Magnificentiae Vestrae nos multum vicissim debere fateamur.

Quia vero Magnificentia Vestra valetudinis nostrae statum scire cupit, eius nunc ea est ratio, quam in senibus esse Magnificentia Vestra non ignorat. Valemus equidem (sit gratia Deo) satis bene hoc tempore, viribus animi firmis, corpore autem pro aetatis nostrae qualitate affecto et languido, ut nihil fere nobis nunc cordi sit, quam dissolvi et esse cum Christo. Quae enim decrescentis huius mundi est perversitas, praestat ex hac miseriarum valle ad aeternitatis et piorum gaudia emigrare, quam multis curis et tribulationibus obnoxiam diu vitam trahere. Idcirco qualemcumque hoc, quod superest, vitae meae curriculum, voluntati eius, in quo vivimus, movemur et sumus, iam pridem commisimus. Magnificentiae autem Vestrae tanquam vegetiori non modo rerum omnium felicissimos successus, verum etiam vitae tempora longissima precamur optamusque, ut Deus Optimus Maximus Magnificentiae Vestrae augeat corporis et animi robur diuturnum.

De filio recens Magnificentiae Vestrae nato¹⁾ gratulamur. Faxit Deux, ut sincera religione imbutus tam in provehenda salute Ecclesiae quam virtutum praestantia paternis insistat vestigis atque in iisdem crescat, denique patriae et Magnificentiae Vestrae totique eius familiae in seros annos ornamento sit. Nobis vero non minus commendatus erit, nec inferiore etiam amoris loco quam ipsa Magnificentia Vestra habebitur. Filio quoque nostro²⁾ monitor erimus, ut is indissolubile hoc amicitiae vinculum, quod inter nos parentes existit, cum eodem Magnificentiae Vestrae filio colere et confirmare perget. Atque haec Magnificentiae Vestrae fraterne rescribenda esse duximus. Quam feliciter valere optimus, nihilque de suo in nos fraterno amore ut remittat, amanter petimus. Datae.

In folio separato: Stanislao Comiti ab Ostrorok, die 8 Octobris anno 65.

1) *Nicolaus.*

2) *Albertus Fridericus.*

N. 5896.

S.l., 10.X.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito regio, nobili Andrea Halecki, qui «fortuito quodam casu quendam vita privavit», intercedit et sperat fore, ut rex «maiorum suorum exemplo misericordiam et gratiam stricto iuri praepositurus», eumque in gratiam suam recepturus bonaque adempta ei reddi curaturus sit.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 354-355 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5897.

S.l., 10.X.1565.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz et, mutatis mutandis, palatino Trocensi [Nicolao Radziwill «Rufo»], Ioanni Chodkiewicz, Ioanni Szymkowicz pro nobili Andrea Halecki, homicida, intercedit et rogat, ut auctoritatem suam pro eo apud regem interponant, quo in gratiam regiam recipiatur (cfr. N. praeced.).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 353 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5898.

S.l., 13.X.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Valentino Portugal et aliis quibusdam nobilibus subditis suis, qui de gravibus iniuriis sibi a Rigensibus illatis conqueruntur, intercedit et rogat, ut negotium ipsorum ex iusto et aequo decidendum duci Curlandiae [Gottardo] committat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 356 (et Conc., H, B, K. 1188).

E Regio Monte, 18.X.1565.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Pawłowicz Podskarbowicz, aulico regio,
nuntiat se a cancellario suo, Ioanne a Kreitzen, edoctum esse, quid de
subditis suis fugitivis ad eum scripserit; nunc a fide dignis co-
gnovisse, quanta crudelitate in illos, qui ei extraditi sint, ipse
utatur.*

Cfr. El. XLI, N. 1978.

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 184r-v (et Conc., H, B, K. 1188).

An Johann Paulowitz Potkarbowitz.

Wir seint durch unsern cantzler, rat und lieben getrewen Johann von Kreitzen, berichtet worden, wess ihr ferner ewerer entlaufenen underthanen bey uns durch sein person suchen und ahnregen lassen. Nun wollen wir euch darauf gnediger meinung nicht bergen, das wir in glaubliche erfarung khommen, wie ihr mit denen, so wir euch hiebevorn aus unserem furstenthumb wiederumb volgen und zustellen lassen, fast tirannischer und unchristlicher weise gebaret und umbgangen, dann eins teils weibern nasen und ohren, den manspersonen aber die fusse, welches alles schrecklich und mitleidlich zu hören, andern zur hiebevorn bey christen nie erfahren abschew und exemplell, abschneiden, schlitzen und abhawen lassen.

Weil dann solche ungewonliche, unrechtmessige grausame strafe ein christilich herz den armen leuten nicht woll gönnen kann, auch nicht soll, als haben wir derselben und keiner andern ursachen halben gentzlichen bey uns bedacht, euch keinen ewrer leute, so sich vielleicht noch in unserm furstenthumb ufenthalten mochte, hinfuro volgen zu lassen, auch bey der kö.mt. zu Polann etc., unserm gnedigen hern und freuntlichen lieben ohaimen, uns desfals entschuldiget, vorsehentlichen ire kö.mt. mit uns darob in gnaden friedlich sein und uns darinnen nicht vordencken werden. Und wir haben euch solchs etc. Datum Königsberg, den 18 Octobris anno LXV.

Commissio Principis per Cancellarium
E[noch] Baumgartner

N. 5900.

S.l., 19.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
commendat causam nobilis Iacobi ab Alexwangen, cui cum senatu
Elbingensi diuturna controversia de bonis quibusdam inter-
cedit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 357 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5901.

S.l., 19.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Gregorio Chodkiewicz, castellano Vilnensi,
pro litteris, propensa in se voluntatis plenis, gratias agit; clementiam
vero suam, tantopere ab eo praedicatam, tanto encomio vix dignam
esse affirmat; pro humanitate Francisco Lismanino, consiliario
suo, exhibita gratias agit.*

(Latino)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 358-359 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5902.

S.l., 19.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
pro Stanislao Milewski, cui nobilis Lucas Janowicz Kurzeniecki inde
ab a. 1559 150 marcas Pruthenicales debet et debitum hactenus
solvere recusat, intercedit et rogat, ut «suam apud Lucam Janowitz
authoritatem de solutione citra procrastinationem longiorem
praestanda interponere dignetur».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 359-360 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5903.

S.l., 20.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Balthasari Biegler
servitorem suum Georgium Horn ad emenda aliquot vina mittit et rogat,
ut ei ad hanc emptionem peragendam 400 taleros mutuo dare velit,
Torunii vel Gedani restituendos.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 184v (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5904.

S.l., 24.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Melchiore Pfeiffer, bombardario regio, cui ante annos 26 «quorundam malevolentia» pars annui salarii detracta est, intercedit et rogat, ut huius probi et fidelis servitoris clementem rationem habere et deminutum eius salarium supplere et augere dignetur.*

(Latine)

Cfr. El. XLV, N. 184.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 360-361 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5905.

S.l., 24.X.1565.

*Albertus dux in Prussia
consulibus Caunensibus
pro subdito suo Henrico Buchner, ut ei a nauclero quodam, cive Caunensi, pro sale aqua demerso damnum resarciatur.*

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 184.

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 271-272 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5906.

S.l., 29.X.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
regio nomine petenti, ut aliquot sarcinas panni, per loca peste infecta
in Ducatum suum allatas, aqua in Lithuania ducendas ei conce-
dat, respondet se hac in re non gravatim regi gratificari et liberum
facere, ut eiusmodi panni acqua in Lithuania vehantur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 361-362 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5907.

S.l., 29.X.1565.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Kuchmistrzowicz Dorohostajski, M.D.L. dapifero,
pro Abrahamo Treuhorn, villico suo Insterburgensi, et eius coniuge
Dorothea, intercedit et rogat, ut auctoritate eius accedente heredita-
tem ab eiusdem Dorotheae defuncta sorore relictam eo facilius con-
sequantur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 362-363 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5908.

S.l., 5.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Bernardo Pohibel

*nuntiat se a Georgio ab Haugwitz, capitaneo Tilsensi, certiorem factum
esse, quid hactenus in villa et bonis sibi a defuncto Gabriele Tarlo
testamento legatis egerit; iubet, ut mandata sua adhuc per aliquod
tempus ibi exspectet; mandat, ut subditos ad bona illa pertinentes
in protectionem suam recipiat, frumentum exterendum et excutien-
dum curet, pecoribus de pabulo provideat, debitos census et tributa
a subditis exigat etc.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIV, N. 154.

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 185r-v (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5909.

S.l., 8.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

gubernatrici Inferioris Germaniae [Margaritae Austriacae]

Christophorum Schenck baronem a Tautenberg, duos in Inferiore Germania cognatos habentem («quorum alter Ultraiecti episcopi munere fungitur) commendat et petit, ut ipsum in expediendis negotiis suis adiuvare velit, «maxime vero, ut ad successionem bonorum cognatorum suorum in Inferiore Germania cum fratre suo Gulielmo admittatur».

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 364-365.

N. 5910.

S.l., 9.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario, propter servitoris eius serum ad se adventum se oves ei promissas hoc anno mittere non posse nuntiat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 365 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5911.

S.l., 12.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Carolo Danzaeo [de Dançay], regis Galliae in Dania oratori, de cineribus ex Prussia in Galliam mittendis.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 366-367.

N. 5912.

S.l., 13.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario, explicat rationes, ob quas promissae ei anno praeterito 400 oves hoc anno mitti non potuerint.

(*Latine*)

Cfr. El. XLV, N. 184.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 368-369 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5913.

S.l., 14.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

*Iacobo Drozdowski, tenutario Wiesniensi,
de praefecturae eius incolis, «Bendkowa habitantibus», qui subditos
suos variis et gravibus iniuriis afficiunt, queritur et postulat, ut
eos ab eiusmodi facinoribus, usque ad componendam limitum con-
troversiam, coercent.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 369-370 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5914.

S.l., 18.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
litterae fidei pro Venceslao Schack, consiliario suo.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 373 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5915.

S.l., 18.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Philippo II regi Hispaniae

*Gulielmum et Christophorum Schenck, barones a Tautenberg, cognatos
in Inferiore Germania habentes («quorum alter Ultraiecti episcopi
munere fungitur»), commendat (cfr. N. 5909).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 370-373.

N. 5916.

S.l., 18.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Elisabethae reginae Angliae

*Christophorum Schenck, baronem a Tautenberg, consiliarium suum,
qui ad Christophorum marchionem Badensem, in Regno Angliae
nunc versantem, proficiscitur, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 373-374.

N. 5917.

S.l., 20.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito suo Georgio Drengals, causam de debito quodam cum nobili Andrea Ilgowski, M.D.L. incola, habente (cfr. N. 5889).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 374-375 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5918.

S.l., 21.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,

pro subdito suo Georgio Drengals, causam de debito cum Andrea Ilgowski habente (cfr. N. 5889).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 375 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5919.

S.l., 22.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Venceslaum Schack, consiliarium suum, internuntium nonnulla negotia sua regi expositurum mittit et rogit, ut eum clementer audiat; pro Germanis Vilnae habitantibus, «de re christiana recte et pie sentientibus», intercedit, ut templum aliquod Vilnae, «in quo vox Evangelii pure sonaret», possidere queant.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 376-377.

Regi Poloniae, XXII Novembris anno etc. LXV.

Misi cum quibusdam mandatis Nobilem ac Generosum consiliarium meum, fidelem mihi dilectum Wenceslaum Schakium, ut apud S. Regiam Vestram Maiestatem meum agat internuntium et nonnulla negotia eidem meis verbis exponat. Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem enixe oro, ut hunc internuntium meum, res sibi commissas proponentem, clementer audiat facilemque sese illi praebeat.

Ad haec Germanorum Vilnae habitantium, qui de re christiana recte et pie sentiunt, exquisitis precibus adductus sum, ut me intercessoris partes apud S. Regiam Vestram Maiestatem, quo ipsis Vilnae fanum aliquod, in quo vox Evangelii pure sonaret et sacramenta secundum institutionem Salvatoris nostri Iesu Christi rite administrarentur, concederetur, suscepturum receperim. Ea de re legatus meus prolixius disseret. Pari itaque diligentia a S. Regia Vestra Maiestate contendo, ut huic maxime piae postulationi clementer annuere et Regi gloriae, pro sua singulari pietate, portas suas aperire haud gravate dignetur. Id officii Deo in primis erit gratum et omnes pii S. Regiam Vestram Maiestatem propterea summis laudibus extollent. Ego vero S. Regiae Vestrae Maiestati, tametsi antea innumeris ei beneficiis sim obligatus, hanc etiam ob rem plurimum sum debiturus. Quam diuturna valetudine fruentem prosperos omnium consiliorum suorum eventus experiri vehementer exopto. Datae etc.

Commissio Cancellarii¹⁾

Idem audivit

Enoch Baumgartner

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5920.

S.l., 22.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Matthiae Heine, advocato Caunensi,

rogat, ut apud senatum Caunensem operam suam interponat, ut copiam aliquam luppuli pro necessitate aulae sue Insterburgensis inde exportare liceat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 272-273 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5921.

S.l., 25.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz

pro Vencenslao Schack de Stangenberg, consiliario suo, de defuncto fratre suo Gulielmo, archiepiscopo Rigensi, optime merito, intercedit et rogit, ut causam eius apud regem ita promoveant, quo donatione fundi cuiusdam, in archidioecesi Rigensi siti, nomine eius-

dem archiepiscopi defuncti a Christophoro duce Megapolensi, coadiutore Rigensi, ei facta, regio diplomate rata et confirmata, frui possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 377-379 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5922.

S.l., 27.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

duci Constantino [Constantino Basilio Ostrogski, palatino Kioviensi] litteras eius, per Achillem Scipionem missas, sibi iucundissimas fuisse nuntiat; pro equo ei misso nulla gratiarum actione opus fuisse scribit; pro «munere camelorum et gradariorum» sibi misso gratias agit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 379-380 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5923.

S.l., 30.XI.1565.

Albertus dux in Prussia

Stanislae Ostroróg, castellano Miedzyrzecensi, pro Achille Scipione, non exiguam frumenti copiam ad ver proximum aqua dimittere cupiente, intercedit et rogat, ut eum equis et curribus iuvare velit, quo minore cum difficultate frumentum illud flumini invehere possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 381 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5924.

S.l., 11.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ne in negotio Pauli Wobeser, pro cuius liberatione cognati et affines eius apud ducem Pomeraniae sollicitasse feruntur, quid fieri patiatur, antequam intellegat, quid idem Pomeraniae dux postulaturus sit.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 387-389 (et Conc., H, B, K. 1188).

Regi Poloniae, XI Decembris anno etc. LXV.

Dubium mihi plane nullum est Magnificos ac Generosos Dominos Legatos, non ita pridem in ditionem meam a S. Regia Vestra Maiestate cum mandatis missos, ac nunc ad ipsam vicissim reversos, S. Regiam Vestram Maiestatem inter cetera de eo quoque negotio, quod cum Paulo Wobissero, quem mille equitibus in Livoniam ducendis praefeceram, mihi intercedit, certiores reddidisse. Quod quidem eiusmodi est, ut is de pecunia non exigua rationes referre et nonnullas etiam literas, quibus conducendorum equitum potestas ipsi facta est, reddere mihi teneatur. Quibus omnibus non transactis, ipse Wobisserus ex custodia S. Regiae Vestrae Maiestatis, in qua nunc detinetur, dimitti tuto non potest, neque mea solum provinciaeque meae, ne id fiat, sed adeo quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis inclytique Regni eius plurimum interesse videtur.

Secretius autem nunc ad me allatum est cognatos et affines ipsius Wobisseri, quos in Pomerania nec paucos nec ex nobilitate postremos habet, apud Illustrissimum Pomeraniae Ducem, Dominum Barnimum, de legatione ad S. Regiam Vestram Maiestatem et ad me quoque pro liberatione Wobisseri quam primum decernenda diligentissime sollicitasse. Quo cognito, rem S. Regiae Vestrae Maiestati non ingratam et ad me rationesque meas magnopere pertinentem me facturum arbitratus sum, si id consilii ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscriberem. Quam maiorem in modum demisse exoro, ne quid in ea causa adversus Wobisserum fieri patiatur, antequam cognoscat, quid Dux Pomeraniae postulatur sit. Interim vero diligenter caveat, ne Wobissero pro consuetudine sua elabendi occasio relinquatur. Ubi autem legati Pomerani advenerint, ne inscio me et antequam aliquis internuntius, qui rebus gerendis intersit et rationes a Wobissero de accepta pecunia cum literis exigat, a me missus fuerit, de dimittendo Wobissero decernatur, non mea solum, sed tranquillitatis etiam publicae interesse vehementer videtur.

Rogo itaque S. Regiam Vestram Maiestatem iterum atque iterum, ut mei, quando legatio Pomeranica advenerit, clementer habeat rationem, meque, ut ad eam causam agendum mittere ex meis aliquem mature possim, opportune commonefacere ne dedignetur. Quod quidem S. Regiam Vestram Maiestatem pro sua erga me singulari benevolentia facturam esse plane confido etc. Datae etc.

Commissio Principis propria per Cancellarium¹⁾
Curiae Magister²⁾, Cancellarius et D. Jonas audiverunt
Enoch Baumgartner

1) *Ioannes a Kreitzen.*

2) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.*

N. 5925.

S.l., 15.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito suo Antonio Semlitz, cum quodam Valentino Sabbat, prius etiam subdito suo, de debito causam habente, intercedit et rogat, ut ei salvum conductum concedere dignetur, quo debitorem suum profugum, nunc Varsaviae latitanter, in Regno Poloniae persequi et vinculis detinere possit, «donec solutionem mutuatae pecuniae faciat».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 391-392 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5926.

S.l., 15.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

salutationem regiam per Sebastianum Ciechański perlatam gratissimam sibi fuisse nuntiat et per eundem Ciechański regi vicissim plurimam salutem dicit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 392 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5927.

S.l., 16.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

reginae Catharinae ad iter [Viennam] iam constitutum suscipiendum omnia fausta ac felicia exoptat, in negotio abrogandae proscriptionis suaे et obtinendae investiture feudi Franconici intercessiones ad imperatorem, electorem palatinum Rheni Fridericum, ducem Bavariae Albertum et eius uxorem a regina impetrandas esse ei recordatur.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 185v-187v (et Conc., H, B, K. 1188).

An Erhart von Kunhaim, den 16 Decembris anno etc. LXV.

Wir haben dein schreiben, im dato den 6 Decembris haltende, empfangen und seines inhalts lesende eingenommen. Soviel erstlich der ko.mt., unserer gnedigsten frawen und königin¹⁾, vorhabende reyse betrifft, zu derselben wuntschen irer ko.mt. wir von hertzen alle

wollfart, den segen Gottes und guette wollmögende leibes gesundheit und das es irer ko.mt. nach allem derselben wuntsch, willen und begeren woll ergehe. Dann es irer ko.mt. nimmer so woll ergehen khann, wir gönnen es derselben tausentfach nach viel besser.

Als du dann ferner von den furgeschriften, unsere hendel, welche aufm vorstehenden des heiligen romischen reichs angestalten reichstagk²⁾ sollen furbracht werden, anlangende, bescheit bittest und deines getrewen vleisses dich zu solchem erbeutest, nehmen wir solch dein erbieten zu sonderm gnedigen danck an und wollen dir darauf nicht bergen, du werdest dich unseren hiebevorn an hochgenanntde ko.mt., unsere gnedigste fraw und königin, sowoll auch ahn deine person den achtzehenden May dieses laufenden jares abgangenes schreibens, volgents unsers abgesantten Friedrichen von Aulacken anbringens und was wir zu obermelten unsern hendeln gebeten, dich lengicht und nach notturft ersehen haben und alles desselben zu erinnern wissen. Wollen uns demnach vorsehen, du werdest deiner geschicklichkeit nach die furschrifte inhalts unserer petition darauf ins beste stellen und fertigen.

Damit wir aber khurzlich solches wiederholen, ist dieses unsere meinung, das die gebetenen vorschrift erstlich ahn die ro.key.mt.³⁾ wegen abthuung der beschwerlichen acht, item wegen leyhung aller marggravischen lehen und gnedige hulf, zudem vormuge der auch alt und veterlichen vertrege, auch von kaysern zu keyserrecht confirmirten constitutionen, an uns gefallenen landen zu Francken, allergnedigst uns vorhelfen wolten, gestalt werden. Volgendes, das ire ko.mt. auch an den hochgeborenen fursten, unsren freundlichen lieben oheimen, schwagern und brudern, hern Friedrichen, des hey. ro. reichs ertztrucksass und churfursten⁴⁾, in gleichen auch hern Albrechten⁵⁾, beyde pfaltzgraven bey Rein und herzogen Obern und Niedern Bayern, in meliori forma uns und unsere hendel vorbieten wolten, das umb irer ko.mt. willen ire l. uns nutzbare furderung zu erzeigen unbeschwert sein wollen.

Ferner sehen wir auch gern, das ire ko.mt. herzogk Albrechts gemaell, irer ko.mt. geliebte schwester⁶⁾, unsere auch freuntliche liebe muhme, mit einem furbittlichen schreiben ersuchten, das ire l. unsere sachen bey ihrem geliebten hern gemaell gleicherweise furdern, bey s.l. derhalben mit trewen vleis anhalten und alle diese vorschrifte der ko.mt. zu Polann, unsers gnedigsten hern und freuntlichen lieben ohaims, oder unsren auf dem kunftigen reychstagk ahnwesenden gesandten zuzuschicken geruhen wolten, domit sie durch dieselben an ihr geburendt ort zu andtworten.

Im fall auch ire ko.mt. an obermelte ro.key.mt., auch fursten und furstinne personlich gelangen wurde, do bitten wir, das ire ko.mt. solche vorbitt mundlich unserentwegen und nichts destoweniger in

schriften auch, wie obgemelt, thun wolten. In sonderheit aber wollest ire ko.mt. unserentwegen zum allerunderthenigsten bitten, wann ire ko.mt., Gott gebe, mit gluck an die kay.mt. gelangen werden, das dieselbe alda unser bestes mit koniglichen gnaden wissen wolten, domit ihre kay.mt. irem allergnedigsten erbieten nach sich den gnedigen keyser und herren in diesem unserm betagten alter erzeigen und unseren beschwerungen mit keyserlichen gnaden abhelfen wolten. Dann negst Gott wir in ire kay. und ko.mt. in diesen unsern hendeln unser höchstes und eusserstes vortrawen setzen. Solchs zu befördern und ins wherck zu stellen, wollest an deinem trewen vleis auch ermahnen und erinnern, daran wir gar kheinen zweifel haben, nichts erwinden lassen.

So wir dann auch weitleuftig in erfahrung khommen, als sollen in der Cron zu Polann der kay.mt. hochstgenanntd viel furnehmer stende mit sonderem vleis und dinstwilligkeit zugethan sein, auch s.kay.mt. vor andern auf die felle, die Gott lange vorhutten wolle, die Cron Polann woll günnen etc. Demnach begeren wir gnedigst, du wollest uns in vortrawen, soviel dir hievon wisslich, berichten, und wer dieselben stende sein, nahmkhündig machen, in gleichnus auch uns auf unsern uncosten oft schreiben und wes iederzeit furleuft, soviel dir thuelich und muglich, mitteilen; daneben bey unser gnedigsten frauen, der königin, unsers und unsers geliebten sohnes⁷⁾ allewege und zum oftermal im besten gedencken und uns irer ko.mt. commendiren, also das solche commendationes auch oft ahn die kay.mt. gelangen mugen und unser bestes iederzeit gefurdert werde. Neben unserer und unsers sohnes undertheniger und gantz getrewer vleissiger, sowoll gegen die kay. als ire ko.mt., gegendinsterbittung und mit anhengen, das wie alle unsere vorfaren dem hause Osterreich gerne, willig, vleissig und woll gedienet, also wehren wir in gleichnus mit unserem sohne herzlich geneigt und willig in allen vorstossenden hendeln mit darsetzung unseres vormögens auch zu dienen, und soviel an uns, das beste zu befördern herzlich gewilliget; welches alles wir in deine als unsers getrewen lieben underthanen vleissiges befürden, anhalten und erinnern wollen gestalt haben. Dasselbe seint wir etc.

Relatio Cancellarii⁸⁾. Idem legit.
Princeps audivit.

1) *Catharina.*

2) *Comitia Imperii Augustae celebranda.*

3) *Maximilianus II.*

4) *Fridericus II.*

5) *Albertus V.*

6) *Anna Austriaca.*

7) *Albertus Fridericus.*

8) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5928.

S.l., 23.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Constantino Basilio Ostrogski et, mutatis mutandis, episcopo Kioviensi
[Nicolao Pac], Nicolao Radziwill «Ruso», Eustachio Wołłowicz et
N. Wojnicki coniunctim*

*Georgium Langefeldt, Nicolai Radziwill, palatini Vilnensis, olim servito-
rem, eis, eiusdem palatini testamenti exsecutoribus, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 393 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5929.

S.l., 23.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Adamo Zieliński, iudici terrestri Lucoviensi,
certiorem eum reddit filium eius, quem se libenter in aula sua educandum
recepisse et primis litterarum rudimentis imbuendum tradidisse scri-
bit, omnino balbum esse et ad studia litterarum minime idoneum;
consultius ergo existimat esse, «ut in aula discendis reliquis rebus
ad tuendam societatem humanam necessariis adhibeatur, ut nihi-
lominus aliquando Reipublicae usui esse possit».*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1940.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 394-395 (et Conc., H, B, K. 1188).

N. 5930.

S.l., 25.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Annae, Nicolai Bielewicz coniugi,
pro «splendidis donariis acu pictis», et quod ad cognoscendam suam
et coniugis liberorumque suorum valetudinem servitorem misit,
gratias agit; ipsam et maritum eius vicissim salutat; autumno
proxime venturo ad s. Bartholomaei festum oves promissas ei mitte-
re policetur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 395-397 (et Conc., H, B, K. 1188).

S.l., 28.XII.1565.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
militibus stipendiariis, qui in Lithuania nunc sunt, multa et gravia
damna colonis inferentibus, petit, ut hominum suorum [in oppido
Jurbork et villa Nowawola habitantium] patrocinium et protectio-
nem non gravatim in se recipiat.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 397-398 (et Conc., H, B, K. 1188).

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilekte.

Renuntiatum nobis est milites S. Regiae Maiestatis stipendiarios, qui in Lithuania nunc sunt, in multorum vicina bona excurrere colosque illorum pabulationibus et rapinis insolenter exhaustire, ac plerosque etiam bona, nobis a Magnifico Gabriele Terla piae memoriae testamento legata¹⁾, invasisse exactionibusque subditis nostris non parum molestos fuisse. Quia vero nostra interest, ut ab eiusmodi insolentia homines nostros tueamur, duximus hoc nomine Magnificentiam Vestram interpellandam esse, ut ipsa nostro adducta rogatu patrocinium eorundem hominum nostrorum non gravatim in se recipiat. Et sicut vivente Domino Tarlone Illustris Dominus Dux Olicensis felicis recordationis²⁾ eos ipsos colonos in protectionem et defensionem suam suscepit, ita Magnificentia Vestra nostro nunc nomine, ubi per Bernhardum Pohibel vel eos, quibus illo absente administratio eorum bonorum a nobis demandabitur, requisita fuerit, ab iniuriis, excursionibus, rapinis seu stationariis spoliis tueri eos ne gravetur. Factura nobis Magnificentia Vestra rem longe gratissimam ac per omnem occasionem amicis studiis nostris compensandam. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram rectissime valere exoptamus.
Datae.

In folio separato: Eustachio Wolowitz, die XXVIII Decembris anno 65.

1) *Gabriel Tarlo († 4.V.1656) duci Alberto bona Góry prope Vilnam et curiam Vilnae in platea Arcis sitam testamento legavit.*

2) *Nicolaus Radziwill «Niger» († 29.V.1565).*

1566

N. 5932.

S.l., 3.I.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sebastiano Ziegler, civi Cracoviensi,
gratias agit, quod de aegritudine servitoris sui Georgii Harck (vel Horck),
ad emenda vina Hungarica in Hungariam missi, se certiorem fecit,
et rogat, ut Martino Voeller, in locum aegrotantis in Hungariam
missio, in itinere illuc faciendo et emendis vinis auxilio sit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 189r-v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5933.

S.l., 6.I.1566.

*Christophorus a Kreitzen, burggravius Regiomontanus,
Sebastiano Ziegler, civi Cracoviensi,
de aegritudine Georgii Harck, ad emenda vina Hungarica ad usum
aulae ducalis in Hungariam missi, et de eisdem vinis ab alio ducis
servitore coemendis (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 189v-190 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5934.

S.l., 18.I.1566.

Albertus dux in Prussia

regi Galliae [Carolo IX]

Iacobum Grawerierum, in patriam redeuntem, commendat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 419.

N. 5935.

S.l., 18.I.1566.

Albertus dux in Prussia

«ducibus Burboniis de Condé et de la Roche»

Iacobum Grawerierium, in Galliam redeuntem, commendat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 420.

N. 5936.

S.l., 19.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Benedictum Seber, sororis regiae per aliquot annos servitorem commendat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 421 (et Conc., H B A, B, K. 1188).

N. 5937.

S.l., 19.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Karszewski

ab uxoris eius fratre, Ioanne Pusch, se cognovisse nuntiat de residua pecunia ei ab eodem Pusch debita et scribit talem pecuniam ei a Pusch solutum iri, si prius ipse uxori suae debitam advitalitatem («leibgedinge») assignaverit et regiam huius rei confirmationem exhibuerit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 190v-191 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5938.

S.l., 21.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

explicat, quid apud se egerint oratores electoris Brandenburgensis et marchionis Georgii Friderici in negotio simultaneae investiturae feudi Pruthenici et affirmat omnia secundum veterum pactorum formam, receptam iuris feudi observationem et ex dignitate regis

et Regni ab eis tractata esse, speratque nullam inde offensionem regem esse concepturum; rumores de tutela filii sui, spreto testamento a rege iam confirmato, in marchionem Ioannem translata, omnino falsos esse scribit et petit, ne rex malevolis de se sermonibus fidem habeat.

Cfr. El. XXXII, N. 1002.

Conc., H B A, B, K. 1189 (in Ostpr. Fol. deest).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charisime.

Ex literis S. Regiae Vestrae Maiestatis intellexi, quid ad me de intermuntiis quorundam Principum ratione simultaneae investiturae Ducatus Prussiae ad me missis scribat, quidve ea in re a me fieri postulet. Quae quidem omnia ea reverentia eoque animo accipio, quo debent accipi omnia a clementissimo Rege et summa benevolentia et sanguinis necessitudine coniunctissimo in me profecta et contestata studia. Quam ob rem, sicut ab eo tempore, quo Regum Regnique Poloniae beneficiarius coepi esse Princeps, illud egi sedulo nihilque prius antiquiusque habui, quam rebus in omnibus fidem, observantiam et debita obsequia S. Regiae Vestrae Maiestati inclytoque illius Regno omni officiorum genere declarare, in eoque nihil unquam desideratum in me esse puto, ita in posterum quoque, quoad vita mihi supererit, Deo adiuvante me sic geram, ne aut fidei meae non satis accuratam rationem habuisse, aut contra S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitatem aliquid admisisse iure a quoquam culpari queam. Ut autem sciat S. Regia Vestra Maiestas, quid apud me egerint Domini Electoris Brandenburgensis et Marchionis Georgii Friderici oratores, brevibus S. Regiae Vestrae Maiestati rem omnem exponam.

Cum divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens felicis recordationis¹⁾ feudum Ducatus Prussiae mihi re ipsa tradidisset et una simultaneam quoque investituram fratribus meis germanis Casimiro, Georgio et Iohanni, Marchionibus Brandenburgensis iam pie defunctis, contulisset, praestitum mihi est a subditis Ducatus mei legitimum et usitatum homagium, et simul recepti sunt fratres mei vigore eiusdem homagii pro dominis huius Ducatus mei hereditariis, secundum successionis feudi in literis feudalibus descriptum ordinem. Nullis autem post mortem meam et fratrum meorum masculis feudi heredibus relictis, obstrinxerunt se eodem homagio se nullum alium dominum velle agnoscere, quam Serenissimos Reges et Regnum Poloniae. Hoc iuramento fidelitatis praestito, ipsi beneficiarii Marchiones praedicti vicissim polliciti sunt se suos quosdam internuntios in Prussiam missuros esse, qui incolis Ducatus Prussiae iura et privilegia antiqua

confirmarent, simulque promitterent, quid opis, auxilii seu defensionis in casu necessitatis ab iisdem Principibus his terris sperandum esset.

Quae legatorum missio et privilegiorum confirmatio, variis intervenientibus impedimentis et aliis Marchionibus beneficiariis post alios interim defunctis, in hunc diem usque semper extracta atque procrastinata fuit. Postquam vero Illustrissimus Dominus Ioachimus, Marchio Elector Brandenburgensis, a S. Regia Vestra Maiestate ad simultaneam investituram Ducatus Prussiae singulari benignitate admissus est, designavit Illustris Dominus Georgius Fridericus Marchio etc. consiliarios suos, qui parentis sui promissa exequerentur. Illustris Elector Brandenburgensis, propterea quod idem ius simultaneae investiturae consecutus et quasi in locum defunctorum beneficiariorum Marchionum a S. Regia Vestra Maiestate surrogatus esset, suos quoque legatos adiunxit, a quibus nihil aliud postulatum, actum aut tentatum est, quam quod iuxta veterem morem pactorum Marchionibus beneficiariis de Ducatu Prussiae simul investitis debetur, quodque illi vicissim iuxta eadem pacta subditis Ducatus mei praestare tenentur. Nihilque in toto hoc actu ab illis subditisque meis tractatum est, quam quod privilegia et iura antiqua subditis meis confirmata sunt, illisque in casu necessitatis aliqua opis et defensionis spes facta est. Subditi vero vicissim receperunt se, nullis ex me extantibus heredibus masculis, praedictos Principes iuxta descriptam in literis S. Regiae Vestrae Maiestatis feudalibus successionem et conditionem pro dominis agnoscere velle, ea tamen lege, ne illi ipsi Principes ius aliquod occupandi aut possidendi hunc Ducatum sibi sumerent, nisi praestitis prius iis, quae pacta et regiae infeudationis literae singulos praestare iuberent. Quae quidem omnia solemnibus literis et sigillis cauta sunt.

Cum igitur in his omnibus nihil novi actum sit, sed iuxta veterum pactorum formam et receptam iuris feudi observationem ea tantum praestita et ad executionem deducta sunt, quae iam olim praestari et exequi a Marchionibus beneficiariis oportuissent, non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem nullam inde offensionem concepturam, multoque minus aliquid contra iura feudi aut a dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis alienum a me admissum esse iudicaturam. Quod quidem ut faciat, nec secus de me aut de aliis beneficiariis Principibus suspicetur aut sibi persuaderi patiatur, etiam atque etiam maiorem in modum oro. Hoc vero persuasissimum habeat, quod hoc quicquid hic a beneficiariis Marchionibus cum subditis meis actum est, non modo nullum incommodum aut detrimentum, sed potius magnum commodum et emolumentum tam S. Regiae Vestrae Maiestati, quam Regno eius et hisce terris Prussiae allatarum sit. Facta enim est in illis tractatibus non levis spes abolendae proscriptionis, quae tot iam

annis magno mihi fuit oneri et impedimento etiam in hereditariis successionibus meis adipiscendis. Exuscitabit quoque haec mutua Principum cum subditis meis animorum coniunctio, quod in avertendis harum terrarum periculis ipsi Principes et vigilantiores et diligenteres futuri sunt. Quibus de causis omnino confido S. Regiam Vestram Maiestatem has actiones minime improbaturam, cum ex veteri instituto et placitis priorum pactorum pro communi utilitate et bono publico susceptae fuerint, nec iura feudi iis minuantur, sed potius stabiliantur et confirmentur.

Quae porro S. Regia Vestra Maiestas de tutela filii mei²⁾ in Marchionem Iohannem translata ex rumoribus scribit, illa tantum abest ut fecerim, ut ne in mentem quidem mihi unquam venerint. Quare satis mirari nequeo audaciam eorum, qui haec de me comminiscuntur. Memini, quid eius tutelae nomine in testamento meo, a S. Regia Vestra Maiestate iam confirmato, caverim, quos post Deum et S. Regiam Vestram Maiestatem tutores constituerim, eos et non alios filio meo constitutos esse et manere volo. De clementia et amore S. Regiae Vestrae Maiestatis erga filium meum nunquam dubitavi, neque alieniorem S. Regiam Vestram Maiestatem ab eo fore plane mihi persuadeo. Plurimis enim argumentis et antea saepe et hisce, quas ad me ea de re dedit literis, hoc ipsum S. Regia Vestra Maiestas et clementer et prolixe testata est, ut dignas eo nomine gratias S. Regiae Vestrae Maiestati reddere impar sim. Quem etiam S. Regiae Vestrae Maiestati, uti Domino et Regi meo clementissimo eidemque consanguineo meo charissimo, ex omnibus cognatis meis praferam, profecto habeo neminem.

Quam ob rem submisso oro, ne S. Regia Vestra Maiestas illis, qui sinistre apud eam me deferunt, fidem habeat, sed uti coepit me vivum, ita et mortuo me filium meum paterna benignitate et clemencia sua prosequi perget, sibique per omnia commendatissimum eum habeat. Ego, quam diu vixero, praceptor et monitor illi ero sedulus, ut se vicissim filium et servitorem S. Regiae Vestrae Maiestati fidelem et oboedientem et ad quaevis obsequia promptissimum praebeat, iterum atque iterum humiliter orans, ne S. Regia Vestra Maiestas contra testamenti mei ordinationem levitatis alicuius notam mihi a quoquam aspergi patiatur, atque iis quoque in negotiis, quae cum internuntiis Principum, ut dixi, gesta hic sunt, me ipsosque Principes excusatos habeat, quod non requisita S. Regia Vestra Maiestate illa agi sunt copta, quae neque nova, neque a iure et pactis feudorum diversa, neque a S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitate aliena sunt. Certo enim sibi S. Regia Vestra Maiestas persuadeat dignitatem Maiestatis Vestrae vel ipsa salute et vita mea mihi chariorem esse, quam non modo non attenuare, sed quoad vitalis in me spiritus erit, semper revereri, magnificere et ornare conabor. Atque haec S. Regiae

Vestrae Maiestati submisso rescribenda esse duxi, petoque, ut in optimam partem, sicut quoque literae S. Regiae Vestrae Maiestatis a me acceptae sunt, interpretari meque amore regio prosequi non dedignetur. Ego vicissim subditi Principis et fidelis servitoris officium semper facturus sum. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem cum felici rerum omnium successu diu conservet incolumem et florentem. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae etc., 21 Ianuarii anno etc. 66.

1) *Sigismundus I.*

2) *Albertus Fridericus.*

N. 5939.

S.l., 21.I.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
rogat, ut filiorum defuncti Achatii Czema, palatini olim Marienburgensis,
qui ratione cessionis praefecturae Christburgensis regii manda-
ti litteris citati sunt, rationem habeat et gravem eiusmodi citatio-
nem rescindat.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 422-423 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charis-
sime.

Conqueruntur Magnifici Achatii Zema, Palatini olim Marienburgensis, heredes¹⁾, emanasse a S. Regia Vestra Maiestate post literas quasdam mandati citationem regiam ratione cessionis praefecturae Cristburgensis²⁾, cum adiecta decem millium florenorum Ungaricium poena ab illis irremissible fisco S. Regiae Vestrae Maiestatis applicandorum. Quia vero a S. Regia Vestra Maiestate aliud et multo clementius responsum non ita pridem se Wilnae obtinuisse asserunt, maiorem in modum a me petierunt, ut mea intercessione S. Regiae Vestrae Maiestatis offenditionem contra illos conceptam mitigarem. In quo cum deesse eis honeste non possim, submisso S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut propter fidelia Palatini Marienburgensis defuncti merita clementem heredum illius, praecipue autem Christophori et Fabiani a Zema, rationem habere dignetur, gravemque ac indignabundam citationem rescindat. Offerunt S. Regiae Vestrae Maiestati praedicti fratres pro hac clementia, et ut quiete parentis ipsorum bona possidere possint, in mutuum se daturos ad priorem

summam, quae praefecturis Stumensi et Mevensi titulo hypothecario inscripta est, triginta florenorum millia, quocunque tempore ea sibi mutuari et numerari S. Regia Vestra Maiestas voluerit.

Quae ipsorum submissa voluntas cum ab aequitate non aliena sit, enixe oro, ut S. Regia Vestra Maiestas, si non propter plurima parentis ipsorum merita, tamen meis se precibus permoveri ad hoc patiatur. Erit mihi hoc tam gratum ac si S. Regia Vestra Maiestas tantundem in me contulisset. Quod omni observantia demereri studebo, neque dubito, quin praedicti Christophorus et Fabianus a Zema suam quoque gratitudinem S. Regiae Vestrae Maiestati sub vitae et fortunarum etiam omnium periculo vicissim declaratur sint. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

Truchsess³⁾, Cancellarius⁴⁾ et Doctor Jonas
legerunt

In folio separato: Regi Poloniae, XXI Ianuarii anno 66.

- | | |
|--|--|
| 1) <i>Fili Achatii Czema († 24.V.1565) fuerunt: Christophorus, Achatius, Fabianus.</i> | 3) <i>Ioannes Jacobus Truchsess in Waldburg, aulae ducis magister.</i> |
| 2) <i>Christburg (Dzierzgoń), opp. in Prussia Regali.</i> | 4) <i>Ioannes a Kreitzen.</i> |

N. 5940.

S.l., 21.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*Christophori Schenck baronis a Tautenberg servitorem, in quibusdam
negotiis suis ad regem proficiscentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 424 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5941.

S.l., 25.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Andreae Bobernicki, capitaneo Crasschinensi,

*pro subdito suo Ambrosio Sete Piliatore, cive Tilsensi, a subdito quodam
eius prope Crasschinum vulnerato, intercedit et rogat, ut ipsi «iniuriarum illatarum damnique inde accepti iusta a parte rea fiat
compensatio».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 425 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5942.

S.l., 29.I.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Ioachimo Schmal Johan, cui a senatu Elbingensi iniuria illata est.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 426 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5943.

S.l., 6.II.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

regi postulanti, ut Iudeo Grodnensi de adempto sevo a senatu Regiomontano iustitia administretur et merces ablatae restituantur, respondet eundem Iudeum a rege sibi commendatum falsarium fuisse mercesque adulterinas secum habuisse.

Cfr. El. XXXII, N. 991.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 429-430 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Cum ad postulata S. Regiae Vestrae Maiestatis senatui civitatis meae Regiomontanae iniunxissem, ut Iudeo Grodnensi iustitiam de adempto sevo ex aequo administrari curarent, retulerunt illi rem sese multo aliter habere, quam a Iudeo S. Regiae Vestrae Maiestati exposita fuisse. Sevum enim illud Iudeo ademptum, cum a iuratis mercium inspectoribus pro more civitatis meae consueto probaretur, inventum est omne depravatum et falsum. Quod cum senatui civitatis meae significatum esset, pro consuetudine merces illae adulterinae, ne quisquam defraudaretur aut impunitas aliis etiam occasionem peccandi praebet, igne combustae sunt, et nisi falsarius ipse, doli et fraudis istius sibi conscientia, tempestive admodum fuga sibi consulisset, in eum quoque tanquam falsarium animadversum fuisse.

Qua re hunc in modum se habente, quemadmodum id adhuc particulae quaedam eius corrupti sevi, in testimonium deprehensae fraudis observatae, non obscure ostendunt, non arbitror S. Regiam Vestram Maiestatem Iudeo ullam iniuriam a meis factam esse iudicaturam. Si enim in eiusmodi facinora nemo animadverteret, brevi tempore, quae avaritia est huius saeculi, nullas merces incorruptas

doloque vel fraude carentes essemus habituri. Rogo itaque S. Regiam Vestram Maiestatem demisse, ut non solum subditos meos ob id factum clementer apud se excusatos habeat, sed in ipsum quoque Iudaeum, ne alios exemplo suo ad aliquid simile audendum incitet, animadvertere magistratus iubeat. Id opinionem omnium, quam de S. Regiae Vestrae Maiestatis iustitiae cultu conceperunt, et mirifice confirmabit, et ego id quibuscumque fidelitatis officiis submisso promereri studebo. Quibus ego S. Regiam Maiestatem Vestram felicissime diutissimeque valere exopto.

Commissio Burggravii¹⁾, Nostitzii²⁾
Doctor Jonas legit

In folio separato: Regi Poloniae, VI^{ta} Februarii anno 66.

1) *Christophorus a Kreitzen.*

2) *Caspar Nostitz, consiliarius ducis Alberti.*

N. 5944.

S.l., 16.II.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

petit, ut instructio, oratori regio ad Comitia Imperii destinato in negotio abrogandae proscriptionis suae data, in hanc sententiam mutetur et corrigatur, ut scil. negotium hoc non ad se solum, sed ad regem etiam Regnumque Poloniae pertinere intellegatur; repetit argumenta, quae a prioribus legatis regiis ad Comitia Imperii missis in eadem causa usurpata erant et novae instructioni inserenda sunt; mandatum regium de hereditate feudi Franconici editum abunde sibi satisfacere scribit.

(Schedula: de quibusdam in Saxonia et Pomerania mandatum habentibus equitum peditumque ductores conducendi).

Cfr. El. XXXII, N. 1008.

Conc., H B A, B, K. 1189.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Charissime.

Missum mihi est ab legato meo Wenceslao Schakio, qui negotiorum meorum caussa ad aulam S. Regiae Vestrae Maiestatis nunc aliquandiu commoratur, exemplum legationis, quam S. Regia Vestra

Maiestas ad auspicata iam Romani Imperii Comitia destinavit, quos sane semel atque iterum perquam accurate et diligenter relegi. Quo in loco autem de proscriptionis caussa ac sententia, a iudicibus Camerae Imperialis contra me non modo nullo specioso iuris praetextu, verum etiam summa iniuitate lata, agitur, utpote quod non fuerint illi aut esse debuerint iudices mei, animadverti a pristinis illis defendenda huius vere regiae caussae rationibus, quibus et divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens¹⁾ ab initio negotii, et post obitum Regiae eius Maiestatis ipsa S. Regia Vestra Maiestas in omnibus Imperii conventibus semper per internuntios suos dextre tutoque usa est, plane esse discessum, quando ante hoc tempus divus S. Regiae Vestrae Maiestatis pater, postea et ipsa quoque S. Regia Maiestas Vestra, in publicis Regni Poloniae Comitiis hoc in negotio requisita, de consilio omnium ordinum et senatorum semper intermuntiis meis scripto respondere dignata est, velle se negotium hoc proscriptionis tanquam causam propriam apud Imperatoriam Maiestatem et Imperii Romani ordines agere et defendere, et quod proscriptionis decreatum contra me, vasallum S. Regiae Vestrae Maiestatis Principem, in quem praeter Serenissimos Polonorum Reges nihil omnino iuris vel Imperator ipse, vel Camerae Imperialis iudices haberent, prolatum, tanquam summe iniquum et contra foedera et pacta, quae cum Maximiliano adhuc, maximo illo Imperatore laudatissimae memoriae, divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens olim pepigisset, quaeque fidem omnium futurorum Caesarum Polonorumque Regum mutuo invicem sibi in perpetuum obstringerent, promulgatum et sibi in primis minime ferendum, impugnaverit, et quidem id ex foederibus et pactis facere debuerit. Nunc vero, quasi ad S. Regiam Maiestatem Vestram id negotii nihil, sed ad me solum pertineret meaque solum interesset, pro me saltem ea in re fiat intercessio.

Quod quidem inde venisse arbitror, quod S. Regia Vestra Maiestas priora illa argumenta, quibus ad abrogandam periniquam hanc proscriptionem et ad defendendum ius Regum et Regni Poloniae in hanc Prussiae provinciam, quique eam tenuerunt Magistros, superiores legatos suos semper informavit, ad manus non habuerit. Monere itaque S. Regiam Vestram Maiestatem id volui, ne si S. Regia Maiestas Vestra pristinam rationem refutandae proscriptionis nunc mutaret, idque veluti ad se non magnopere pertinens remissius magisque precibus quam iure agere inciperet, ac veluti de iure suo, quod in has Prussiae terras et eos, qui eis Regum Polonorum beneficio praefuerunt, a praedecessoribus Regibus S. Regia Vestra Maiestas quasi per manus traditum accepit et adhuc obtinet, discessisse, aut nihil prorsus contra Camerae Imperialis iniustam sententiam, quod iure subnixum esset, inferre potuisse S. Regia Maiestas Vestra videatur.

Ne autem et ego quocunque pacto negotio desim, repetam hoc loco paulo altius argumentorum seriem, quae a superioribus S. Regiae Vestrae Maiestatis legatis, quoties ea res ad Comitia Imperii delata est, usurpata sunt. Sunt huiusmodi:

Divum S. Regiae Vestrae Maiestatis parentem processum Cameae Imperialis contra me institutum sic semper accepisse, quod S. Regia Maiestas Sua praegravi iniuria ab Imperialis Camerae iudicibus fuerit affecta, propterea quod me, Principem ratione terrarum Prussiae immediate Regibus et Regno Poloniae subiectum, in quem ipsi ne minimum quidem iuris haberent, in ius primum vocassent, deinde quum a divo S. Regiae Vestrae Maiestatis patre, ne me coram non meis iudicibus sisterem, seria hac inhibitione, cuius exemplum huic epistolae inclusum est, prohibitus fuisse, iniquo quodam decreto proscriptissent, quum ne quidem in ius vocandi, multo minus ferendae contra me sententiae potestatem ullam haberent.

Quod iniustum et inconsideratum eorum iudicum factum, a divo S. Regiae Vestrae Maiestatis parente graviter admodum acceptum, S. Regia Vestra Maiestas, quae nunc ad eiusdem Regni gubernacula sederet et una cum Regno quoque tantae tamque insignis iniuriae particeps facta esset, non posset non ferre longe molestissime.

Cum neminem lateat manifesti iuris esse actorem forum rei sequi debere, idque adeo in foedere, inter priorem Romanorum Regiam et Vestram S. Regiam Maiestatem icto, disertis ac planis verbis expressum esset, curaret igitur, quod semel data et accepta fide promisisset Maiestas Imperatoria, ut eam communis foederis sententiam iusta etiam executio consequeretur. Quod autem terrae Prussiae Imperio Romano subiectae non sint, quodque et ego et qui ante me terras Prussiae tenuerunt, in fide et clientela Poloniae Regum fuerimus, manifestius esse, quam ut de eo dubitare quisquam aut possit aut debeat. Multas enim et pergraves saepe actiones et controversias inclytis Poloniae Regibus cum iis, qui se Magistros Ordinis nuncuparent, fuisse, sed nullam earum coram Imperatore aut Rege Romano unquam agitatam fuisse. Ex quo facile appareret eos, qui Prussiae praefuisse, Imperatorem vel Regem Romanum pro iudice, qui ius eis dicere deberet, nunquam agnovisse, neque Prussiae terras ad Imperii Romani ditiones eo pacto unquam pertinuisse. Quin eam rem illustris documenti loco esse, quod soli Poloniae Reges, et praeter eos nemo, Prussiae terras optimo iure sibi vendicarint, quod eorum beneficio et sociis armis tantum in Prussia dominatum Ordo ab initio fuisset adeptus. Proinde etiam Ordinem non in cuiusquam alias fide fuisse aut esse debuisse praeterquam eorum, quorum auxilio et opera ad possessionem istarum terrarum primum pervenisset. Ac ne res per se sole meridiano clarior necessitatem altius repeteretur,

pacem illam perpetuam atque transactionem, inter avum S. Regiae Vestrae Maiestatis, divum Casimirum Regem, et Magistrum quondam Ordinis Ludovicum²⁾ ante nonaginta amplius annos de fratum consensu factam, abunde id testari.

Hanc autem transactionem antiquos istos Imperatores Romanos, Fridericum³⁾ et Maximilianum⁴⁾, non solum non improbasse, sed etiam authores Magistris fuisse, quo iuxta eam ius iurandum Poloniae Regibus, tanquam supremis dominis suis, id quod et fecissent, praestarent. Huc accessisse, qod divus Imperator Maximilianus, datis super ea re publicis diplomaticis, divo parenti S. Regiae Vestrae Maiestatis inter alia verbo suo caesareo promisisset, quod sub fide boni, legalis et ingenui Principis non esset subtracturus Prussiae Magistrum et eius Ordinem ab iis, quae Regibus et Regno Poloniae deberent. Quae cuiusmodi essent, sub calcem tabularum his verbis clarius exprimeret: Non inhibebimus, inquiens, aut subtrahemus a praestando iuramento, quod debet Suae Serenitati et Regibus Poloniae, et quae praedecessores eius Magistri faciebant, neque auxilium neque consilium illi praestabimus in damnum et detrimentum Suae Serenitatis et Regni sui.

Quibus verbis nihil posset esse planius, neque illa re evidentius ostendi Prussiae terras et earum Principes Regibus et Regno Poloniae et fuisse et esse subiectos, quibus toties iam a multis inde annis debitum fidelitatis iuramentum, maximis illis Imperatoribus, divo Friderico et divo Maximiliano, id ratum habentibus, praestitissent.

His causae fundamentis, pluribus quidem adhibitis orationis coloribus, ita positis, tandem postulatum etiam atque etiam est, ut Maiestas Imperatoria, quod citra omnem iuris formam a iudicibus Imperialis Camerae de vasallo Principe S. Regiae Vestrae Maiestatis factum videret, id irritum, inane ac prorsus nullum esse iuberet, meque a proscriptionis iniuria liberum et absolutum esse vellet, quodque iuris communis est, eo frui et gaudere me permitteret. Si vero quisquam esset, qui iure adversus me agere vellet, coram S. Regia Maiestate Vestra, cui soli tanquam supremo Domino meo subiectus essem, diem mihi diceret ibique actionem intenderet. Quod alieno loco frustra quaereret, id apud Dominum et legitimum eius caussae iudicem absque difficultate aliqua consecuturum. Daretur S. Regiae Vestrae Maiestati debitus cognoscendae caussae locus, facturam illam haud gravate, ut ius quisque suum obtineret, talemque se iudicem praestituram, neutram ut in partem propensior, sed solius veritatis et iustitiae studiosa fuisse ab omnibus cognoscetur.

Haec propemodum fuit superiorum legationum, quantum equidem meminisse possum, summa, quoties de iniquo Camerae Imperialis decreto proscriptionis rescindendo actitatum est. Quae porro argu-

menta ut nunc quoque retineantur et S. Regia Vestra Maiestas ius causamque suam eundem in modum tueatur, summopere meo iudicio necessarium videtur. Neque enim hoc negotium magis ad me quam ad S. Regiam Vestram Maiestatem spectat, cum de eo potissimum disceptetur, Imperio-ne an Regibus ac Regno Poloniae universa Prussiae provincia iure pareat. Neque enim ego solum a Camera Imperiali, ut adversariis meis ibi responderem, citatus sum, sed et Elbingenses et Gedanenses praeter maximi illius Imperatoris, divi Maximiliani, voluntatem, quae literis publicis perscripta legitur, ad imperialia Comitia, quasi ius aliquod Imperio in eos competeret, evocati sunt. Quod non minus a S. Regia Vestra Maiestate olim acriter est impugnatum.

Factura itaque est S. Regia Vestra Maiestas rem non sibi minus quam mihi utilem, si legationem hunc in modum mutatam internuntio suo, si is modo iter ingressus est, quam celerrime deferendam et hanc caussam uti suam propriam in Comitiis proponendam urgendaque curarit atque in primis hoc bene providerit, ut internuntius S. Regiae Vestrae Maiestatis meorum consiliariorum opera, quos ad eadem Comitia propediem missurus sum, quique rem totam, uti ante hoc tempus acta est, optime norunt, utatur, ne si forte eum quid fugiat, in deteriore res statum, quam nunc est, deducatur.

Ad hereditatem feudi Franconici quod attinet, qua hactenus ob proscriptionem magno meo incommodo mihi abstinendum fuit, mandatum S. Regiae Vestrae Maiestatis abunde mihi satisfacit. Huius enim est ratio, ut praeterquam quod pro me S. Regia Vestra Maiestas intercedat, facere nihil possit, quamquam sublata et abrogata proscriptione nihil sit, quod me in adipiscenda hereditate impeditat. Quare hoc ipsum a S. Regia Vestra Maiestate animo gratissimo accipio. Proscriptionis vero decreto de dominio terrarum Prussiae agitur. Eo ne S. Regia Vestra Maiestas cessisse, vel id iure non satis bono unquam tenuisse videatur, etiam atque etiam omni studio ac conatu cavendum est. In quo ne S. Regia Maiestas Vestra et sibi et mihi desit et hanc admonitionem meam, ab ipsa necessitate extortam, aequi bonique consulat, maiorem in modum demisse oro. Quod superest, S. Regiam Maiestatem Vestram diuturna frui valetudine felicissimisque omnium rerum successibus florere exopto. Datae.

Lectae sunt hae literae, antequam describerentur,
ab Cancellario⁵⁾ et Doctore Jhona.
Tandem et ipsi Principi praelectae,
consensu omnium sunt comprobatae.

In folio separato: Regi Poloniae, XVI Februarii anno etc. 66.

Schedula:

Ceterum latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo intellexisse me ex quorundam literis, esse quosdam in Saxoniae et Pomeraniae Ducatu, qui mandatum habent, ut equitum peditumque ductores conducant, per quos aliquot turmas equitum et duo peditum, ut vulgo vocant, regimina conscribant. Ipsi vero duxibus, praeter omnem morem et consuetudinem militarem, promittere dicuntur quingentos florenos pro salario supra mensium stipendia in singulos annos ad vitae tempora, ut inde appareat potentem esse aliquem eius futurae militiae dominum. Quis autem ille sit, aut contra quem eum ducturus sit exercitum, sciri adhuc non potest. Ego sane coniicere non possum, cum praeter Danicum et Suedicum bellum pacata in Germania sint omnia, quid sibi inusitata illa duxorum militiae stipendia velint. Dabo autem operam, ut certi et explorati aliquid hac de re habeam. Idem ut S. Regia Vestra Maiestas faciat, non dissuadeo, cum praevisa, ut aiunt, tela minus feriunt. Datum ut in literis.

In folio separato: Die 17 Februarii anno 66. Cedula in literis Regis Pononiae.

- | | |
|---|------------------------------------|
| 1) <i>Sigismundus I.</i> | 3) <i>Fridericus III</i> († 1493). |
| 2) <i>Ludovicus ab Erlichshausen, magister Ordinis Theutonicorum 1450-1467.</i> | 4) <i>Maximilianus I</i> († 1519). |
| | 5) <i>Ioannes a Kreitzen.</i> |

N. 5945.

S.l., 16.II.1566.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

rogat, ut apud regem operam interponere velit, ita tamen, «ut S. Regia Maiestas non offendatur», quo tam pecuniae regi Caunae mutuo datae, quam triennalis stipendii sui solutionem tandem consequatur. (Schedula: de nova commissione ad commissarios regios ratione regundorum limitum edenda).

Cfr. El. XLI, N. 1986.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 430-432 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Reverende ac Generose, Amice nobis sincere dilecte.

Quandoquidem eam pecuniam, quam S. Regiae Maiestati etc. Caunae mutuo dederamus, magna ex parte aere alieno collegeramus, eoque nomine annuales solvere usuras coacti sumus, aliquoties tam per literas quam internuntios apud S. Regiam Maiestatem nostros petivimus, ut S. Regia Maiestas Sua eam nobis reponi pecuniam

clementer curaret. In quo tamen nihil hactenus obtinere potuimus. Quia vero magna cum aerarii nostri iactura ea pecunia aliquot iam annis caruimus, tum quod ad proximum Sacri Paschatis festum per decursum triennii nulla etiam nobis est facta stipendii nostri anni solutio, amanter Reverendam Generositatem Vestram rogamus, ut apud S. Regiam Maiestatem pro ingenii sui dexteritate commode et opportune, ita ut S. Regia Maiestas non offendatur, sua nobis opera praesto sit, ut tam niuitatae pecuniae quam triennalis stipendii nostri solutionem simul tandem consequamur, nosque de meliori nota S. Regiae Maiestati excuset, quod toties ei hac in re sollicitando molesti sumus. Nisi enim rationes exhausti aerarii nostri illud efflagitarent, non modo libenter nobis ab interpellatione ea temperare, sed in longissimum etiam tempus differre eam vellemus. Nos pro hac Reverenda Generositatis Vestrae benevolentia gratitudinis nostrae propensissimam voluntatem Reverenda Generositati Vestrae ita contestaturi sumus, ut suam hac in re operam se non male posuisse intelligat. Quod superest, Reverendam Generositatem Vestram rectissime valere optamus. Datae.

Relatio Schnellii¹⁾

Cedula in literis Vicecancellarii

Gratum quoque nobis est Reverenda Generositatis Vestrae studium, quod in editione mandatorum de approbato regiorum et nostrorum commissariorum recessu ratione limitum inter S. Regiae Maiestatis et nostras Prussiae terras nobis navavit. In quibus omnibus nihil desideramus quam unicum hoc, ut nova commissio ad regios commissarios in huius inclusae formulae sententiam edatur. Aiunt enim consuetudinis hoc esse in S. Regiae Maiestatis terrarum Prussiae partibus. In quo ut ne Reverenda Generositas Vestra difficultem se praebat, amanter petimus.

In folio separato: Vicecancellario Miskowski, 16 Februarii anno 66.

1) *Ioannes Schnell, consiliarius ducis Alberni.*

N. 5946.

S.l., 16.II.1566.

*Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario
pro Valentino Oberfeldt (vel Uberfeldt).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 443 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5947.

S.l., 16.II.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sebastiano Ciechański, cubiculario regio,
iubet, ut Valentino Überfeldt et Stanislaw (in ms. Wentzeslao) Miłoszew-
ski villam Vilnae sitam et bona ibi a defuncto Gabriele Tarło testa-
mento legata una cum inventario rerum omnium tradat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 191 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5948.

S.l., 22.II.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, Eustachio
Wolłowicz*

*pro Stanislaw Milewski, qui anno 1559 nobili Lucae Janowicz Kurze-
niecki 150 marcas Pruthenicales mutuo dederat, et hactenus pecu-
niae suae restitutionem consequi non potuit, intercedit et rogat, ut
causam eius ita sibi commendatam habeat, quo circa longiorem
procrastinationem suum consequi possit (cfr. N. 5902).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 444 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5949.

S.l., 27.II.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro subditis suis Ioanne a Gern et Iacobo Brandt, civitatum Regiomon-
tanarum viris consularibus, quibus cum Reinholdo ab Holten, cive
Gedanensi, ratione actionis hereditariae controversia est, in-
tercedit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 445 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5950.

S.l., 27.II.1566.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

causam subditorum suorum, quam cum Reinholdo ab Holten, cive Gedanensi, habent, commendat (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 446 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5951.

S.l., 1.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*nuptias ducis Curlandiae [cum Anna ducissa Megapolensi] ad 10.III.
dilatas esse nuntiat et rogat, ut rex ad eum diem legatum suum,
Ioannem Kostka, castellani Gedanensem, ad easdem nuptias
cohonestandas mittat.*

Cfr. El. XXXII, N. 1009.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 450-451 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Charissime.

Non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem de legati sui, Magnifici ac Generosi Domini Iohannis Kostka, Castellani Gedanensis etc., ad nuptias Curlandicas¹⁾ adventu literis Magnificentiae eius certiorum esse factam. Etsi autem his nuptiis feliciter auspicandis dies mensis Februarii vicesimus quartus constitutus fuit, necessitate tamen ita cogente, cum quod gener meus, Dominus Iohannes Albertus Dux Megapolitanus etc., negotium Rostochianum tam celeriter confidere non potuit, tum quod S. Regia Vestra Maiestas Illustrem Curlandiae Ducem, nisi Pernovio oppido praesenti periculo penitus liberato iustisque praesidiis adversus Suedicas irruptiones firmato, ex Livonia discedere consultum esse non existimavit, ad decimum usque huius mensis Martii diem fuerunt suspendendae. Rogavi itaque legatum S. Regiae Vestrae Maiestatis etiam atque etiam, vellet eam dila-

tionem ab ipsa necessitate expressam aequo animo ferre et ad tempus denuo nuptiis indictum haud gravate hic commorari, sed non potui Magnificientiam eius (quod S. Regiam Vestram Maiestatem ex literis eius cognovisse arbitror), ut tam diu expectaret, inducere.

Quum autem ad honorem et dignitatem Ducis Curlandiae magnopere pertinere videatur, ut S. Regia Vestra Maiestas legati sui praesentia has Illustritatis eius nuptias coherestate dignetur, amore erga ipsum Ducem meo minime vulgari permotus, eo nomine literas hasce ad S. Regiam Vestram Maiestatem dandas esse existimavi. Quam maiorem in modum enique deprecor, ut honoris Ducis Curlandiae rationem habendam esse in animum clementer inducat et coniugium hoc se authore in hunc locum provectum legatione sua ad optatum finem perducat. Eo ipso S. Regia Maiestas Vestra de Duce Curlandico praecclare merebitur et ego, qui hactenus iis nuptiis paciscendis una cum S. Regia Vestra Maiestate meam quoque qualitercumque impendi operam, si S. Regia Vestra Maiestas precibus hoc meis (uti plane confido) dederit, ingenti beneficio me affectum esse profitebor. His S. Maiestatem Vestram Regiam prosperrima frui valetudine feliciter regnare exopto. Datae.

Princeps auscultante Cancellario²⁾
assensit

In folio separato: Regi Poloniae, I Martii anno 66.

1) scil. ducis Curlandiae Gottardi Kettler 2) Ioannes a Kreitzen.
cum Anna ducissa Megapolensi.

N. 5952.

S.l., 1.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*rogat, ut nunc, dum oratores regis et sui ad Comitia Imperii Augustae
celebranda mittuntur, negotia sua in eisdem Comitiis tractanda
reginae Catharinae commendet, ut in eis promovendis operam
suam apud imperatorem et electores ac principes Imperii interpone-
re velit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 191v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5953.

S.l., 7.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario petit, ut litteras immunitatis pro aliquot sexagenis lignorum ab Henrico Bogner absque vectigalium solutione aqua dimittendis, anno praeterito a rege impetratas, renovandas et praeter lingua Latina exaratas, «Lithuanico etiam sermone» scribendas curet («cum et Lithuanica quaedam thelonea istis lignis praetereunda fuerint, a quorum praefectis literae Latino sermone scriptae difficulter admittuntur»).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 452-453 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5954.

S.l., 7.III.1566.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] petit renovationem litterarum immunitatis pro lignis ab Henrico Bogner absque vectigalium solutione aqua dimittendis (cfr. N. praeced.).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 453 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5955.

S.l., 11.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario, rogat, ut servitori suo Ioanni Böler, qui in Lithuania nonnullas merces in usum suum coemit, easdem merces, a Iudaeis vectigalium praefectis Caunae iniuste detentas, quam primum dimitti iubeat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 454-455 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice sincere nobis dilecte.

Subditus et servitor noster, Famatus Iohannes Bölerus, in Lithuania nonnulla mercimonia, zobellas nimirum ac marthas Moscoviticas cum aliquot luporum atque aliarum id genus ferarum pellibus in

usum nostrum coemit. Is nunc per supplices literas certiores nos reddidit accidisse, cum Caunae more consueto Iudeis, vectigalium praefectis, indicasset se merces aliquas, quas huc transvecturus esset, habere, atque interea servus eius ad amnem, qua in ulteriore ripam transportari viatores solent, perrexisset, ut illi ipsi Iudei, inspectis primum ipsis mercibus, alium quandam alterius cuiusdam fasciculum evolverent, qui superveniens atque Iudeos se absente id ausos fuisse aegre ferens, uni ex Iudeis colaphum impegerit. Hac occasione arrepta, Iudeos in hunc Bolerum, quasi is vectigalibus regiis detrahere voluisset atque ideo Iudeus ille verberatus es-
set, culpam omnem transtulisse et mercimonia ea sub tali specie sibi vendicasse.

Quae res cum perinqua nobis videatur, quod alias peccaverit et alias plectatur, literis nostris praefato servitoru nostro apud Magnificentiam Vestram subvenire voluimus. Rogamus itaque Magnificentiam Vestram peramanter, ut huius servitoris nostri benignam rationem habeat easque merces, quas singulis ferme diebus huc perventuras esse putavimus, quam primum dimitti procuret, nec praeter ius et aequum longius detineri sinat. Ea re Magnificentia Vestra sua in nos merita magis magisque accumulabit et nos vicissim in ipsis gratiam, quocunque recte fieri poterit, libenter facturi sumus. Datae.

Commissio Principis per Horstium¹⁾.

In folio separato: Ostaphio Volowitio, die XI Martii anno LXVI.

1) *Matthias Horst, consiliarius ducis Alberi.*

N. 5956.

S.l., 27.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

suadet regi, ut – si imperatori animus esset in Comitiis Imperii, quae Augustae celebrantur, cum electoribus et principibus Imperii de pace inter reges Daniae et Sueciae constituenda consilium capere – oratori suo ad Comitia Augustana ablegato iniungat, ut apud imperatorem et principes Imperii det operam, ne rex ab ea pacificatione excludatur; consulit etiam, ut rex ad conventum procerum

Danicorum et Sueticorum, qui de pace inter utrumque regem facienda tractaturi sunt, legatum suum mittat; industias inter regem et magnum ducem Moscoviae initas faustas et felices esse exoptat; refert praeterea de Rigensibus imperata ducis Curlandiae exequi detrectantibus, contributiones solvere nolentibus etc.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 455-461 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Renuntiatum mihi est proceres Regni Daniae et Suetiae in finibus Regnorum istorum de instituendis inter utrumque Regem pacis tractatibus cogitare. De certo autem eius conventus die et loco nihil adhuc constare. Aiunt quoque S. Imperatoriam Maiestatem¹⁾ in his, quae nunc Augustae celebrantur, Romani Imperii Comitiis cum Electoribus et Principibus Imperii de pace inter eundem Daniae²⁾ et Suetiae³⁾ Regem constituenda consilium capere velle. De quibus omnibus etsi certi quod affirmem non habeo, pro officii tamen mei debito hoc ipsum, uti perlatum ad me est, S. Regiae Vestrae Maiestati significandum esse duxi.

Quae de tractatibus inter proceres Danicos et Suedicos narratur, illa subvereor a Sueco in propria ipsius compendia subornari, ut dilatoriis procrastinationibus se suosque firmet, Regem autem Daniae interim aere magis magisque emungat viresque illius atterat. Quod si Imperatori animus esset cum Electoribus et Principibus pacem inter utrumque Regem constituere, non incommodo factura esset S. Regia Vestra Maiestas, ut in eum casum oratori suo, quem ad Augustana Imperii Comitia ablegabit⁴⁾, in mandatis det, ubi intellexerit Imperatorem cum Electoribus et Principibus de pacis conditionibus tractare, ut pro societate foederis, quae S. Regiae Vestrae Maiestati cum Serenissimo Daniae Rege ratione belli Suedici intercedit, partes S. Regiae Vestrae Maiestatis obeat, detque apud Imperatorem et Principes Imperii operam, ne S. Regia Vestra Maiestas ab ea pacificatione excludatur. Esse enim bellum hoc S. Regiae Vestrae Maiestati cum Daniae Rege commune et confoederatum. Itaque non minorem in ea pacificatione S. Regiae Vestrae Maiestatis terrarumque suarum, quam Daniae Regis rationem habendam esse. De quibus omnibus S. Regia Vestra Maiestas ex dignitate sua Regnique et provinciarum suarum emolumento magis apposite multoque rectius, me etiam non monitore, ipsa oratorem suum informatura est.

Quod si famam veritas consequeretur, ut conventus in finibus Daniae et Suetiae a proceribus Regnorum illorum, de quibus supra dixi, institueretur, iudicarem S. Regiam Vestram Maiestatem rem

necessariam quoque facturam esse, ut non curata magnitudine aut longinquitate itineris aliquem ex suis ad eum conventum delegaret, qui tractatibus nomine S. Regiae Vestrae Maiestatis interesset. Non quod de Serenissimi Regis Daniae confoederato cum S. Regia Vestra Maiestate animo quicquam dubitem, aut Serenitatem Suam non satis accuratam ac necessariam S. Regiae Vestrae Maiestatis rationem esse habituram putem, sed quod in rebus tanti momenti superflua etiam cautela nocere non soleat, praecipue cum non tantum expeditat Regnum S. Regiae Vestrae Maiestatis conditionibus pacis inseri, sed Prussiae et Livoniae quoque terras in tuto esse atque expresse in pacificatione ea firmanda nominari plurimum referat, ita ut praedictis terris nihil hostile a Suetiae Rege in posterum timendum sit. Quorum facilis praeteritio aut non sufficiens cautio futura esset, si nemo nomine S. Regiae Vestrae Maiestatis adesset, qui ista diligenter moneret aut curaret. Quam ob rem meo iudicio operae pretium S. Regia Vestra Maiestas factura est, ut et oratorem ad Augustana Comitia designatum de his informet et temporius aliquem ex suis ad obeundam legationem, si tractatus in finibus Danici et Suedici Regni institueretur, deputet. Mihi autem ut clementer S. Regia Vestra Maiestas, quod haec pro officii mei debito moneo, ignoscat, submisso oro.

Ceterum relatum mihi est pactas esse inter S. Regiam Vestram Maiestatem et Moscorum Ducem⁵⁾ indutias, quas felices et faustas esse exopto. Faxit Deus, ut illa perpetua quoque pax propediem subsequatur. Quam enim illa omnibus christianis expetenda, et quam execranda ac detestanda sint bella, longa testatur multorum saeculorum experientia, ut taceam, quantum S. Regiae Vestrae Maiestatis Regnique sui ac terrarum illi incorporatarum omnium intersit, etiam cum levi aliquo detimento, ab ea orbis parte pacis perpetuae vinculo tuta et secura esse S. Regiae Vestrae Maiestatis omnia. In quo etsi non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem nullo opus habere submontore, atque ubi ad tractatus pacis deuentum fuerit, miserae et afflictiae Livoniae, praecipue vero plurimorum, qui partim in captivitatem Muscoviticam abducti, partim bonis et facultatibus omnibus exuti sunt, regiam clementemque rationem habituram esse, ut captivi omnes, redemptionem S. Regiae Vestrae Maiestatis continuis ad Deum suspiriis sidentes, eliberentur, bonisque suis aut suorum tandem restituti se recolligant. Tamen pro pietatis meae debito praestantissimorum illorum hominum, qui tam praclare et fortiter pro patria pugnarunt, in tristissima ipsorum calamitate mentionem faciendam et, afflictioni eorum condolendo, propensissimae atque ad sublevandos eos ultroneae S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntati precibus quoque meis aliquid adiiciendum esse duxi. Qua in re ut S. Regia Vestra Maiestas (etiam si durioribus aliquanto conditionibus ad pacis

perpetuae conditiones descendendum esset) sibi Regnoque et terris suis omnibus optime consultura est, ita Deo in primis opus est factura gratissimum, si nobilitate et virtute egregios viros servitutis perpetuae iugo liberaverit. Erit hoc ipsum quoque omnes homines inter praecolla S. Regiae Vestrae Maiestatis encomia non poteremus.

Illud quoque S. Regiae Vestrae Maiestati minime subticendum esse duxi, indicatum mihi esse Rigenses refragari fere omnibus iis, quae subinde cum totius provinciae illius communi consilio approbantur, seque a contributionibus et id genus aliis necessariis rebus eximere et disiunctis prorsus animis ab aliis eius provinciae ordinibus esse, ita etiam ut Domini Curlandiae Ducis⁶⁾ salutaria imperata facere interdum detrectent. Et quod gravius est, inusitatam quandam multis in rebus condendis, statuendis et novandis licentiam ac potestatem sibi sumere, quae non modo parum ex S. Regiae Vestrae Maiestatis Dominique Curlandiae Ducis dignitate esse, verum etiam cum privilegiis eius provinciae pugnare ac magno cum omnium eius terrae incolarum praeiudicio et gravamine coniuncta esse dicuntur.

Quae res cum a bene constituta Republica maxime aliena esse soleat, verendum est, ne dissidentes ita inter se animi tumultum aliquem perniciosum aliquando excitent. Meminit procul dubio S. Regia Vestra Maiestas, quid consilii habuerit Ordo Teutonicus per Lubecenses, ut Rigenses defectione ad se alliceret. Cui rei confidiae plerunque subornari solent talia principia, ut discordia et animorum distractione intestinae incipient serpere seditiones. Quo fundamento iacto, fenestram ad defectionem apertam esse prudenter me S. Regia Vestra Maiestas intelligit. Quod omen ut Deus a Rigensibus avertat, necessarium est, in eas cogitationes ut S. Regia Vestra Maiestas clementer incumbat, ut negotia Illustrum Dominum Curlandiae Ducem contingentia et quae de subiectione Rigensi, deque bene et recte constituenda per totam Livoniam administratione, absolute expedita et curata adhuc non sunt, ut primo quoque tempore S. Regia Vestra Maiestas ex aequo et iusto ista ordinet et constituat, ne in hac rerum confusione ad plurimas illas, quas S. Regia Vestra Maiestas eius provinciae nomine hactenus sustinuit difficultates, nova aliqua multoque gravior difficultas accedat. Ego pro fide mea, cogitans de S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitate Regnique et terrarum suarum salute, horum submonendum esse S. Regiam Vestram Maiestatem duxi. Quod ut ne indigne ferat, etiam atque etiam officiosissime peto. Reliquum est, ut S. Regia Vestra Maiestas cum inclitis suis senatoribus umbram saltem harum rerum, S. Regiae Vestrae Maiestati humiliter a me monstratam, deliberet, ac quid utile magisque expediat, pro sua prudentia

statuat. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet in columem eique largiatur corporis et animi robur salutare et diurnum. Datae.

Relatio Cancellarii⁷⁾

Idem audivit. Princeps audivit praesente M. Functio⁸⁾,
Horstio⁹⁾ et Schnellio¹⁰⁾

In folio separato: Regi Poloniae, die XXVII Martii anno LXVI.

- | | |
|---------------------------------|---|
| 1) <i>Maximilianus II.</i> | 6) <i>Gottardus Kettler.</i> |
| 2) <i>Fridericus II.</i> | 7) <i>Ioannes a Kreitzen.</i> |
| 3) <i>Ericus XIV.</i> | 8) <i>Ioannes Funck, concionator et consiliarius ducis Alberti.</i> |
| 4) <i>Franciscus Krasiński.</i> | 9) <i>Matthias Horst.</i> |
| 5) <i>Ioannes IV Basilides.</i> | 10) <i>Ioannes Schnell.</i> |

N. 5957.

S.l., 28.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

petit, ut regi Daniae, cum rege Sueciae bellum gerenti et immensis propterea sumptibus prorsus exhausto, in auxilium venire velit, ut scil. naves Hollandicas a Gedanensibus hucusque arresto detentas, milite et commeatu instructas, adversus communem hostem mitti et classi Danicae coniungi iubeat et ita regi confoederato, diuturnitate belli graviter debilitato, subveniat.

(Schedula: rogit, ut rex non solum apud Gedanenses, sed etiam Elbingenses et Torunienses aliquid opis conficeret velit).

Ostpr. Fol., vol. 57, ff.462-465 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Serenissimus Danorum Rex¹¹⁾ de belli difficultatibus, quod contra Suecum iam diurnum gerit, his diebus per internuntium suum diligenter certiorem me fecit, utque Serenitati Suae, difficilioribus belli sumptibus propemodum exhaustae, de transmittendis ex his locis auxiliis aut pecuniis prospicerem, pro summa nostra coniunctione atque ea, quae his regionibus cum Regno Daniae intercedit pactione, summopere a me flagitavit. Cui quidem rei, et in gratiam

Serenitatis Suae et in commune emolumentum conficienda, sedulam adhibeo operam. Rogat autem Serenitas Sua inter cetera per quam enixe, vellem ad S. Regiam Vestram Maiestatem diligentissime perscribere submissisque precibus meis ab ea contendere, ut quindecim istae naves Hollandicae a Gedanensibus hucusque arresto detenatae, militariter instructae atque exornatae, adversus communem hostem, qui, quam antea, multo validiorem nunc classem propediem ex statione producturus sit, quam primum auxilio mitterentur. Ne si classis Danica ad resistendum non satis virium haberet, res in multo maximum discrimen dederetur.

Quanquam itaque prorsus nihil dubitem S. Regiam Vestram Maiestatem etiam per se, nullo monitore, foederati Regis, quam decet, rationem esse habituram, nec ignorare hanc viam resistendi hostibus, si ab aliorum potius ditionibus quam a nostris eos propellendos statuimus, longe esse expeditissimam, tamen petitioni amicissimi atque coniunctissimi mihi Regis, in cuius salute et Victoria harum quoque terrarum salus ac fortuna posita esse videtur, morem gerendum esse omnino censui. Proinde S. Regiam Vestram Maiestatem quanto possum studio etiam atque etiam oro, det hoc pactioni mutuae cum Danorum Rege initae, det hoc communi atque adeo propriae tranquillitati, ut eae naves celeriter, milite, commeatu ac ceteris rebus necessariis instructae, adversus communem hostem ad Danicam classem protinus provolent. Id autem sic fieri posset, si S. Regia Vestra Maiestas cum Gedanensibus ageret, ut ii istarum navium instruendarum exornandarumque negotium susciperent. Quod nunc quam antea, cum in eandem sententiam ad S. Regiam Maiestatem Vestram perscribebam, tanto minoribus impensis procurari poterit, quod naves ipsae iam in promptu sint et praeter apparatus et militem ullis sumptibus non indigeant. Ac licet quidem tot navium expediundarum ratio non prorsus nullius negotii sit futura, tamen Serenissimum Danorum Regem eam Gedanensium voluntatem aequo animo perpensurum partemque sumptuum in se haud gravate recepturum esse plane confido.

Cum autem nihil magis expediat, nihil magis sit necessarium, quam ut Regi diuturnitate belli haud leviter debilitato mature subveniatur, eo praecarius S. Regia Vestra Maiestas et de ipso Rege et de iis omnibus, quorum salus et periculum cum salute et periculo Serenitatis eius coniuncta sunt, merebitur, quo celerius ista auxilia ad Danos pervenerint. Ego quidem, si S. Regia Vestra Maiestas huic qualicunque intercessioni meae locum dederit, ingenti beneficio me affectum esse palam profitebor. Datae.

Princeps in secretiore conclavi praesentibus
Funccio²⁾ et Horstio³⁾ approbavit

Cedula

Hoc quoque legatus Danicus Serenissimi Regis sui verbis a me petiit, ut pari diligentia admiterer, quo S. Regia Vestra Maiestas Serenitati eius non apud Gedanenses solum, verum et apud Elbingenses ac Turonienses aliquid opis conficere dignaretur. Oro itaque S. Regiam Vestram Maiestatem summo studio, ut hac quoque in parte foederato Regi gratificari minime gravetur. Datum ut in literis.

In folio separato: Regi Polonorum, XXVIII Martii anno 66.

1) *Fridericus II.*

2) *Ioannes Funck.*

3) *Matthiae Horst.*

N. 5958.

E Regio Monte, 30.III.1566.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario

*pro litteris immunitatis [a vectigali] sibi a rege impetratis gratias agit,
nuntiat in negotio commissariorum, de quo palatinus Culmensis
per litteras conquestus sit, rem se multo aliter habere, et rogat, ut
hoc regi indicare et apud eum instare velit, ut palatinus Culmensis
novae commissioni regiis commissariis datae pareat.*

(Schedula: regiae commissionis exemplum mittit).

Cfr. El. XLI, NN. 1991, 1994.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 465-466 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Quod Reverenda Generositas Vestra literas immunitatis, sicut petivimus, a S. Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, nobis impetravit, in eo nobis Reverenda Generositas Vestra fecit rem gratissimam. Daturi operam, ut hoc ipsum mutua aliquando benevolentia compensemus.

Quod vero ad literas Palatini Culmensis¹⁾, quibus de nobis apud S. Regiam Maiestatem conquestus est, attinet, miramur sane illum non erubuisse talia ad S. Regiam Maiestatem perscribere. Ut autem videat Reverenda Generositas Vestra rem se multo aliter habere, mittimus Reverendae Generositati Vestræ verum exemplum recessus tam S. Regiae Maiestatis quam nostrorum commissariorum manus propriae subscriptione confirmati. Ex eo intellectura est Reverenda Generositas Vestra, qua fronte Palatinus Culmensis ad S. Regiam Maiestatem perscripserit nostros saltem commissarios ad iudicandam eam rem in praeiudicium causae regiae convenisse, nec iustum

commissariorum regiorum numerum fuisse. Petimus itaque amanter, ut Reverenda Generositas Vestra haec S. Regiae Maiestati indicare atque instare dignetur, ut novae commissioni regiis commissariis non ita pridem datae Palatinus Culmensis pareat. Mandatum autem, de quo Reverenda Generositas Vestra scribit, cum mala informatione sit impetratum, rescindatur. Nisi enim hoc factum non fuerit, submetuendum est, siquidem regii commissarii in recessu praedicto rem aliter, quam Palatinus Culmensis ad S. Regiam Maiestatem perscripsit, sigillis et manu propria se habere testantur, ne periculosus aliquis tumultus inde subsequatur. Factura in hoc Reverenda Generositas Vestra rem nobis gratam et amicis studiis nostris demerendam. Datae Regiomonti, die XXX Martii anno LXVI.

Princeps audivit praesentibus
her Truchsess²⁾ et M. Funken³⁾ im
schreibstublein

Cedula

Quia vero Reverenda Generositas Vestra inter alia quoque scribit questum esse Palatinum Culmensem regios commissarios non iusto numero adfuisse^{a)}, mittimus Reverenda Generositati Vestrae exemplum regiae commissionis ea in causa editae. Ex qua intellectura est Reverenda Generositas Vestra clausulam in fine commissionis adiecam esse: unius absentia non obstante, ut nostro iudicio nodum in scirpo, ut dici solet, Palatinus quaerere videatur. Iterum autem atque iterum petimus, dignetur Reverenda Generositas Vestra haec S. Regiae Maiestati referre, ne indigne ita a Palatino hac accusationis apud S. Regiam Maiestatem macula aut nota aspergamur. Datum ut in literis.

a) *in Ostpr. Fol.:* defuisse

1) *Ioannes Działyński.*

2) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg, magister aulae ducis Alberti.*

3) *Ioannes Funck.*

N. 5959.

S.l., 31.III.1566.

*Albertus dux in Prussia
regis Poloniae internuntio ad Comitia Imperii Augustana ablegato
[Francisco Krasiński]
significat se cognovisse eum legationi in Comitiis Imperii obeundae a
rege praefectum esse et rogat, ut negotia sibi commissa, partim
regis propria, partim ad se spectantia, sibi commendatissima ha-
beat; suadet, ut – si res id postularet – praesertim in proscriptionis
et feudi Franconici negotio, cum internuntio suo in Comitiis Impe-
rii mandata sua communicet.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 467-468 (et Conc., H.B A, B, K. 1189).

Reverende ac Generose, Amice nobis sincere dilecte.

Cum nobis renuntiatum esset Reverendam Generositatem Vestram a S. Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, obeundae in Comitiis Sacri Romani Imperii legationi praefectam esse, facere non potuimus, quin has in Reverendam Generositatem Vestram literas daremus, simulque amanter ab ea postularemus, ut negotia sibi commissa, quae partim S. Regiae Maiestatis propria sunt, partim ad nos spectant, sibi (uti minime dubitamus) commendatissima habeat. Plane autem confidimus Reverendam Generositatem Vestram a S. Regia Maiestate iis in negotiis, quorum nomine mandatum habet, ita instructam esse, ut pluribus documentis opus minime sit habitura. Tamen si Reverenda Generositas Vestra plenam et absolutam eorum notitiam non habet, quae antea tam in proscriptionis causa, quam ratione feudi nostri Francici in superioribus S. Romani Imperii Comitiis tractata et agitata sunt, amanter petimus, ut Reverenda Generositas Vestra cum internuntio istic nostro, Doctore Christophoro Arnt¹⁾, mandata sua communicet, ut re utrinque bene pensitata et deliberata dextre omnia proponantur et, Deo adiuvante, expeditionem expertam consequantur. Quemadmodum de his idem consiliarius noster prolixius verba coram Reverenda Generositate Vestra facturus est. Ei ut Reverenda Vestra Generositas fidem in omnibus indubiam adhibeat seque (uti plane confidimus) benevolam nobis praebeat, petimus, daturi operam, ut nostram aliquando benignitatem Reverendae Generositati Vestræ viciſſim declaremus. Quod superest, Reverendam Generositatem Vestram rectissime valere optamus. Datae.

In folio separato: Serenissimi Poloniae Regis internuntio in Comitiis S. Romani Imperii Augustanis, ultima Martii anno 66.

1) *Arndt fuit consiliarius Ioannis Alberti ducis Megapolensis, in Comitiis Augustanis negotia ducis Alberti sibi commissa curabat.*

N. 5960.

S.l., 2.IV.1566.

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Carolo IX]
adulescentem Faustinum Willium, qui impensis suis in Academia sua
Regiomontana per annos aliquot bonis litteris operam navavit,
nunc ad iuris studium in Galliam («ubi id maxime florere dicitur») proficiscentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 474.

N. 5961.

S.l., 4.IV.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ursulae de Sieprc Lwowska, castellanae Covaliensi,
nuntiat se denuo ad Theophilum a Polentz, capitaneum in Schönberg,
litteras dedisse eique iniunxisse, ut subditos profugos sine mora ei
restitueret; de morte Procopii Sieniawski, generi eius, sibi nuntiata
dolet filiosque demortui sibi commendatum iri pollicetur.*

(*Latine*)

Cfr. EL. XLI, N. 1992.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 475-476 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5962.

S.l., 8.IV.1566.

Albertus dux in Prussia

duci Olyensi [Nicolao Christophoro Radziwill]

*binas litteras eius se accepisse nuntiat et de bono eius statu gaudet;
querenti ei de praefectis suis, qui immissis in Chronum fluvium
vimineis cratibus et saepimentis natationem piscium impediunt,
respondeat sibi non constare, quod flumen Chronus appellatur, et
cupit de hac re accuratius edoceri.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 476-478 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Officia nostra amica ac fraterna et quicquid grati praestare possumus.

Illustris Princeps, Amice et Frater singulariter nobis dilecte.

Binas ab Illustritate Vestra accepimus literas, quarum prioribus, tricesima die Martii datis, fraternalum suum erga nos amorem, dum officium scribendi, quod hactenus propter varia impedimenta solito praestare modo non potuit, redintegrat, abunde nobis testatum facit ac nobis una cum dilectissima coniuge¹⁾ et liberis nostris de divinitus hactenus concessa nobis incolumitate florentique familiae nostrae statu suavissime congratulatur. Ista ipsae literae longe maxima nos iucunditate affecerunt et duplice quidem nomine, cum quod Illustri-

tatem Vestram periculosis hisce temporibus per divinam gratiam salvam conservatam esse, tum quod et nobis totique familiae nostrae id ipsum obtigisse gratum Illustritati Vestrae fuisse locupletes illae testes fuerunt. Ut autem desiderio Illustritatis Vestrae a nobis satisfiat, sciat Illustritas Vestra et nosmet ipsos, pro aetatis nostrae ingra-
vescentis conditione, mediocri adhuc frui valetudine et coniugem nostram charissimam, una cum filio²⁾ et filia nostra³⁾, divina favente clementia itidem valentes esse. Deus omnipotens Illustritatem Vestram quoque paterne tueatur vitamque ac in columitatem diurnam ei concedat. De quo ut Illustritas Vestra crebrius nos certiores reddat, per amanter ac fraterne ab ea petimus. Nos quidem post hac id facere non negligemus.

Posterioribus literis Illustritas Vestra nos arguit, quod contra omnium gentium ius atque adeo ipsa pacta et foedera, quibus utriusque nostrum ditiones inter se devinctae ac consociatae sunt, immissis in Chronum⁴⁾ fluvium vimineis cratibus ac saepimentis piscium nata-
tionem sursum versus impediri a nostris praefectis patiamur. Quod quidem nullam nobis voluptatem attulit. Nihil enim unquam maiore studio cavimus et adhuc cavemus, quam ut ne ab officio boni vicini discessisse videri cuiquam possimus. Vellemus itaque, si quid eiusmodi a nostris praefectis nobis insciis factum esset, eam adhibere operam, ut gravatum se vel a nobis ipsis vel a nostris esse iure conque-
ri nemo posset, nisi et nos ipsi, cuiusmodi ea res sit, plane ignorare-
mus et consiliarios nostros, quibus ea fortassis nota esse potest, nunc in itinere apud nos non haberemus. Quod enim flumen Chronus ap-
pelletur, nobis non constat, et sunt quae et praefectis nostris ab Illus-
tritate Vestra scribuntur, generaliora, quam ut non submoniti, qui illi sint, scire possimus.

Quam ob rem Illustritatem Vestram amice rogamus, ut aut eam rem apertius ad nos perscribere dignetur, aut brevem aliquam dilationem, donec quale id negotium sit, ex consiliariis nostris cognoscere [possimus], boni consulat. Ante omnia persuasissimum sibi habens, post Deum ipsum nihil nos unquam aequa ac iustitiam, pacem, aequi-
tatem, tranquillitatem optimorumque quorumque hominum amici-
tiam colere statuisse. Deus omnipotens Illustritatem Vestram felici-
bus successibus utentem diu conservet. Datae.

Commissio Principis propria etc.

In folio separato: Duci Olyensi, VIII Aprilis anno LXVI.

1) *Anna Maria.*

2) *Albertus Fridericus.*

3) *Elisabeth.*

4) *Niemen (Memela, Nemunas).*

N. 5963.

S.l., 16.IV.1566.

*Albertus dux in Prussia
Osvaldo Baldner, armifactori regio,
pro armamentario sibi confecto gratias agit et rogat, ut sumptu suo
illud in Ducatum suum transportandum curet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 191v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5964.

S.l., 19.IV.1566.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae,
nuntiat se litteras eius, 3.VII.1565 datas, quibus pro subdito suo Martino Łubnicki intercedebat, ut ei rustici profugi in Ducatu Prussiae latitantes extraderentur, accepisse et capitaneo suo, sub cuius iurisdictione huiusmodi profugi se abscondere feruntur, iniunxisse, ut eos ipsi nulla interposita mora extraderet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 192r-v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5965.

S.l., 20.IV.1566.

*Albertus dux in Prussia
Carolo Danzaeo [de Dançay], regis Galliae oratori,
Iacobum Gavarrierium (vel Graverierium), ab aula sua ducali bona
cum venia sua abeuntem et in patriam revertentem, commendat
(cfr. N. 5934).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 479-480.

N. 5966.

S.l., 23.IV.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro subdito suo Georgio Kunsek, a quodam stipatore regio laccessito,
«ita ut de verbis ad verbera deventum fuerit», intercedit et petit,
ut, cum primam contentioni, deinde etiam vulnerationi causam
ipse stipator regius dederit, subdito suo veniae locum concedat
regiamque indignationem remittat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 480-481 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5967.

S.l., 24.IV.1566.

Albertus dux in Prussia

capitaneo in Skirstymoń (Kirschmimmel)

*pro subdito suo Erasmo Baumgart, cuius faber una cum uxore et filiis,
nonnullis rebus secum asportatis, in absentia heri sui aufugit et
nunc in capitaneatu ipsius delitescere dicitur, intercedit et postulat,
ut dictum fabrum, uxorem eius et filios una cum rebus furto ablatis
ipsi extradat.*

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 192v-193 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5968.

S.l., 30.IV.1566.

Albertus dux in Prussia

Aemilio Malvetio, Italo,

*pro litteris et muneribus sibi saepius missis gratias agit; librum sibi ab
eo promissum se tandem accepisse nuntiat; mittit octoginta num-
mos aureos, ab Horatio Curione olim ab eo mutuo acceptos (cfr.
El. LXXIII, N. 5708).*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 482-483.

N. 5969.

S.l., 1.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
consulibus Caunensibus
pro parocho suo in Grünau, Philippo Muheler, ut in consequenda hereditate,
a defuncto Davide Elert, pharmacopola Caunensi, post se
relicta, eum adiuvare velint.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 275 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5970.

S.l., 2.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
Achilli Scipioni
notum ei facit uxorem suam, ducissam Annam Mariam, munus aulae
suae magistri, ad quod aspiraret, ei offerre non intendere.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 276 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5971.

S.l., 7.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
duci Florentiae [Cosmo I]
rogat, ut medicum aliquem, «qui chirurgiae etiam peritus sit», quo
in hac senili aetate sua se maxime indigere scribit («si talis haberi
in Illustritatis Vestrae Ducatu potest»), suis sumptibus conducat
et quam citissime sibi mittat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 489.

N. 5972.

S.l., 15.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
episcopo Samogitiae [Victorino Wierzbicki]
ad querelas eius de plebano Jurborgensi se intermuntio eius scripto re-
spondisse nuntiat* («de quo cum recedere integrum nobis non sit,
minus aegre laturam esse Reverendam Paternitatem Vestram
speramus»).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 490 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5973.

S.l., 19.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Firley de Dąbrowica, R.P. marscalco,
rogat, ut consiliariis suis ad Comitia Regni [Lublinensia] missis, com-
modum aliquod hospitium assignet et servitorem suum, Sebastia-
num Ciechański, adventum eorundem consiliariorum suorum in
eo exspectare iubeat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 490 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5974.

S.l., 29.V.1566.

*Albertus dux in Prussia
Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
pro subdito suo Georgio Drenghals, cum nobili Andrea Ilgowski ratione
debiti cuiusdam negotium habente (cfr. N. 5889).*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 491 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

E Regio Monte, 7.VI.1566.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

pro litteris, quibus de discessu suo ad imperatorem, Maioris Poloniae ordinibus ita desiderantibus, usque ad proxima Regni Comitia dilato et procrastinato se certiorem fecit, gratias agit; excusat se, quod ob aetatem suam provectam et affectam valetudinem manu propria non scripsit; ad futurum iter, nunc dilatum, ad imperatorem confiendum omnia fausta ei precatur; vinum Rhenense, butyrum et caseos dono mittit.

Cfr. El. XXXII, N. 1014.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 193-195 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Gnedige, freundtliche, liebe frau, muhme und geschweihe.

E.Ko.Mt. eigen handtschreiben, den 3 tag jetzt laufenden monats May zu Velyun datirt, habe ich mit geburender reverentz empfangen und daraus E.Ko.Mt. von dem allerhöchsten Gott verlihene gesundtheit mit hertzlichen freuden und daneben untertheniglichen verstanden, welchermassen dieselbe meinen zustand und gesundtheit (sintemal E.Ko.Mt. etwan von mir nun vast eine lange zeit kein schreiben empfangen) zu erfahren begirig, und das E.Ko.Mt. auf begeren der landschaft aus Grosspolen ihre reise an derselben geliebten herrn brudern, meinen allergnedigsten herrn und keyser etc.¹⁾, bis auf den schirst anstehenden landtag eingestellet etc. Nun sage E.Ko.Mt. ich fur solich ihr schriftlich gnediges eigen handtschreiben und ersuchen underthenigen hohen danck. Vermercke daraus E.Ko.Mt. zu mir tragende sondere gnedige zuneigung und gewogenheit. Tröste und erfreue mich auch derselben in jetzigem meinem von dem getreuen lieben Gott erlangten loblichen hohen alter und schweren leibes schwächeit, und das ich in derselben E.Ko.Mt. eigen handtschreiben nachgesehen, zum hertzlichsten. Das aber E.Ko.Mt. ich mit eigener handt ietzo nicht kan beantworten, derselben auch etwan vast lange nicht geschrieben, bitte ich zum unterthenigsten, E.Ko.Mt. wolten mirs gnediglichen, wie mein underthenige zuvorsicht zue ihr stehet, verzeihen und nirgends anders dan dohin verstehen, das ich des hohen loblichen von dem allerhöchsten Gott, des allmacht ich darf hochsten und hertzlichsten danck sage, erreichten alters und schweren teglichen vorfallenden kranckheiten halben, nunmehr, wie gerne ich auch wolte, mit eigener handt viel zu schreiben ungeschicket und unvermugende. So haben mich auch allerley ungelegenheiten (und sonderlich das E.Ko.Mt. ich ungern mit unnötigen dingen, sintemal

ich auch vast lange nictes schriftwirdiges, des auch E.Ko.Mt. ich gelangen zu lassen nötig erachtet, gehabt, bemuhen wollen) davon abgehalten und verhindert. Derwegen E.Ko.Mt. mich umb sovil mehr gnedigst entschuldigt zu haben und es nicht etwan dahin, das E.- Ko.Mt. ich vergessen, sondern vielmehr das E.Ko.Mt. als meine gnedige freundtliche hertzliebe frau, muhme und geschweye ich gleich-wol allewege in meinem herten gehabt und ohne unterlass derselben gedacht, zu vorstehen, unterthenigst bitte.

Und gleich wie ich hertzlich und mit sondern, hohen, grossen, untertheniglichen, zuneiglichen freuden E.Ko.Mt. wolstandt und gesundtheit erfaren, also wunsche und bitte ich nachmals von dem allerhöchsten Gott, das E.Ko.Mt. furbass zu langen tagen der gantzen Cron Polen und derselbigen zugehörigen landen, sonderlich aber mir und den meinen zu trost, gesundt und wolmogende mugen gefristet und erhalten werden.

Wie es aber mit mir gelegen, haben E.Ko.Mt. gnedigst leicht zu erachten, das ich nach gelegenheit meines schweren alters mehr schwach als gesundt sey, doch kan oder mag ich dem lieben Gott fur seine reichliche mir in meinem alter erzeugte gnade und stercke nicht zu vollendt dancken, demselben bevehl ich mich nachmals zum treulichsten und ihn E.Ko.Mt. konigliche gnade und gewogenheit.

Alsdan E.Ko.Mt. auch ferner melden, das sie ihre reise an hochgemelten derselben geliebten herrn brudern, der²⁾ ro.kay.mt., meinen allergnedigsten herrn, auf begeren der landschaft etwan biss aufn konftigen landtag eingestellet, so wundtsche E.Ko.Mt. ich zu solcher ihrer vorhabenden reysen, wan sie dieselbe ins werck stellen, Gottes gewaltiges gleit, gluckliche hin und wiederkunft und alle heilsame wollfart und das dieselbe gereichen möge zufurderst zu Gottes des allmechtigen ehren, nachmals auch der Kron Polen und allen derselben incorporirten landen, und sonderlich diesen armen landen Preussen zu nutz, aufwachs, gedey, trost, langem und ewigem frieden und aller zeitlichen und ewigen wolfart. Mit angehaftem unterthenigem, dienstlichem und vleissigem bitten, E.Ko.Mt. wollen (wie auch vorhin von derselben, dafur ich nachmals unterthenigst danckbar, geschehen) meiner bey höchstgemelter ro.kay.mt. im besten gnedigst gedencken und mit ihrem freundlichen, schwesterlichen, treuen, vleissigen, un-nachlessigen anhalten, sovil muglich, befördern helfen, damit ich doch in jetzigem meinem hohen schweren alter und schwachheit und noch vor meinem absterben der mir hochbeschwerlichen und unvorschuldeten acht möchte entledigt, auch der frenckischen lehen vehig werden. Ich bin hinwieder ihrer ro.kay und E.Ko.Mt. meinen pflichten und unterthenigen zuneigung nach alles dasjenige, was denselben nirt gefellig sein mag, unvordrossen und aus grundt meines herten gern zu leisten und zu erzeigen geneigt und gantz willig.

Und nachdem mir unterthenigst bewust, das E.Ko.Mt. fur ihren mundt die reinischen weine gerne gebrauchen, wie ich dan derselben auch jeweilen E.Ko.Mt. zue anzeigen mainer unterthenigen zuneigung zuzusenden pflege, also habe ich meiner zun E.Ko.Mt. tragenden unterthenigen treuen nach nachmals nicht sollen unterlassen, E.Ko.Mt. mit einem guten trunck, so gut ich denselben fur dismal gehabt, zu vorsehen. Und uberschicke demnach E.Ko.Mt. hiemit 6 ohme reinisch weins und dan 2 tunnen frische mayputter und 2 dhonnen herren keselein, untertheniges vleisses bittende, E.Ko.Mt. wolle solichs von mir gnedigst und mein dienstwilliges gegen E.-Ko.Mt. ohne ruhm tragendes hertz und gemut dabey anmercken, mit koniglichen gnaden auf und annehmen, in gesundtheit dieselben genissen und meiner gnedigst im besten gedencken, auch meine allernedigste konigin und frau sein und bleiben. Solches bin umb E.-Ko.Mt. ich nach meinem höchsten vormugen als der, wie gedacht, ohne ruhm getreue gehorsame furst und diener unterthenigst zu verdienen iderzeit schuldig, willig und gantz geneigt. Befehle E.Ko.Mt. damit gotlichem gnedigem schutz und mich ihn ihre konigliche gna-de und gnedigen willen, abermals unterthenigst bittendt, meine gnedigste frau zu sein und zu verbleiben und meiner, sowol meines geliebsten sohnes²⁾, allewege im besten und mit koniglichen gnaden zu gedencken. Datum Königspergk, denn 7 Juny anno 66.

S[ecretarius] Caspar Dargitz

In folio separato: An die konigin zu Polen, den 7 Juny anno 66.

z) *Sic in ms.*

1) *Maximilianus II.*

2) *Albertus Fridericus.*

N. 5976.

S.l., 7.VI.1566.

Albertus dux in Prussia

castellano Vilnensi [Gregorio Chodkiewicz]

*rogat, ut quendam Venceslaum Hernak, templi Tapiensis effractorem,
ex carcere profugum, Grodnae deprehensum et in custodia deten-
tum, litterarum exhibitoribus vincum tradi iubeat.*

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 495 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Latere Magnificentiam Vestram nolumus quendam Wenceslaum Hernak de effracto templo Tapiensi non levibus indicis insimulatum, ideoque in carceres missum fuisse. Ille, cum a certis fideiussoribus

districtus eiusdem nostri Tapiensis fideiussione poenali ad sistendum, quoties opus esset, carcere liberatus esset, facinoris sui fortassis conscientius fugam dedit. Quia vero relatum nobis est Wenceslaum praedictum reprehensum esse Grodnae ibique in custodia detineri, amanter a Magnificentia Vestra petimus, ut iuxta tenorem communium pactorum harum exhibitoribus vinctum extradi illum iubeat, ut si convictus fuerit, in loco, ubi deliquit, puniatur. Factura nobis Magnificentia Vestra rem et gratam et amicis studiis nostris compensandam. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram rectissime valere optamus.

Commissio Truchsessii¹⁾ et Cancellarii²⁾

In folio separato: Ad Castellatum Vilnensem, die VII Iunii anno LXVI.

1) *Ioannes Jacobus Truchsess in Waldenburg, aulae ducis magister.* 2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5977.

S.l., 11.VI.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Gulielmo et Georgio Natzimer (vel Natzmer), pro quibus iam ante biennium in Comitiis Varsaviensibus per doctorem Christophorum Jonam operam suam se interposuisse memorat, iterum intercedit et petit, ut pro cessione castri Drahim in Pomerania aliquam compensationem eis concedat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 496 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5978.

S.l., 12.VI.1566.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario, de generali exactione, in Comitiis Vilnensisibus consensu omnium ordinum Magni Ducatus Lithuaniae constituta et solum ex districtibus Jurborgensi et Nowa Wola nondum collata et persoluta, a rege admonitus, nuntiat se praefecto suo Ragnetensi, qui istis districtibus praeest, huius rei execusionem serio mandasse.

Cfr. El. XXXII, N. 1015.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 497 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Magnifice ac Generose, Amice syncere nobis dilecte.

S. Regia Maiestas Poloniae etc., Dominus noster clementissimus et consobrinus charissimus, literis nos suis, Lublini XX^a Maii datis, certiores reddidit generalem istam exactionem, consensu omnium ordinum Magni Ducatus Lithuaniae in proximis Comitiis Vilnensibus constitutam, ex districtibus Jurburcensi et Novowoliensi, quos hypothecae seu pignoris nomine possidemus, fere solum hucusque personam et ad thesaurum Magni Ducatus Lithuaniae perlatam non esse, clementer a nobis postulans, ut id fieri quam primum et absque dilatione curaremus. Cum itaque S. Regiae Maiestati eius in omnibus haud gravate morem gerere soleamus, ea de re praefecto nostro Ragnetensi¹⁾, qui et illis supra nominatis districtibus praest, serio mandavimus, planeque confidimus eum et dicto audience fore et pecuniam, ex communi consensu secundum constitutiones conventus Vilnensis collatam, ad thesaurum Lithuaniae cum his ipsis literis nostris aut transmissurum esse, vel etiam nunc transmisisse. Quod quidem absente S. Maiestate Regia Magnificentiae-Vestrae responsi loco significandum esse duximus. Quam feliciter valere exoptamus. Datae.

Perlegente Burggradio²⁾ et Cancellario³⁾

In folio separato: Ostaphio Wolowitz, die XII Iunii anno LXVI.

1) *Theodoricus (Dietrich) Packmohr.*

2) *Christophorus a Kreitzen.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5979.

S.l., 25.VI.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*Georgium Mex, Livoniensem, ex familia natum, «quae optime de terris
Livoniae semper merita fuit», commendat et orat, «ut meritorum
maiorum suorum fructum aliquem percipiat».*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 498 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5980.

S.l., 27.VI.1566.

*Albertus dux in Prussia
Georgio Heintz, civi Caunensi,
petit, ut chronicam, nomina veterum procerum et dominorum Ordinis
Theutonici continentem, sibi ad aliquod tempus commodare velit.*

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 277 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Unsern gnedigen grus zuvor.
Ersamer, lieber, besonder.

Wir wollen dir gnediger wolmeynung nicht pergen, das wir berichtet, als sollestu ein buch oder cronica haben, darihn unter anderm aller vor vielen jaren hero in diesen landen Preussen Ordens- oder regirender hern nahmen sollen vorzeichnet sein. Weil wir dan solch buch oder cronica gantz gern sehen, haben und lesen wolten, als sinnen und begeren wir an dich gantz gnedigich, du wollest uns dasselbe buch uf ein zeitlangk leihen und zukommen lassen, domit wir uns daraus der vorfarn gelegenheit und wes uns sonst mehr nottig, zu ersehen. Das seint wir in gnaden zu erkennen gewogen. Datum.

*In folio separato: An Georg Heintzen zu Cawen, datum den 27 Junii
anno etc. 66.*

N. 5981.

S.l., 1.VII.1566.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
Alexandrum Ruszkowski (Rauski), capitaneum suum Soldaviensem,
qui ante annos aliquot a rege dono acceperat certum quendam
colonorum numerum in Livonia, in quorum tamen possessionem
nondum missus est, hac de causa regem aditurum, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 502 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

S.l., 5.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Naruszewicz, secretario regio, M.D.L. notario,
ad litteras regis, quibus de praefecto suo Ragnetensi querebatur, quasi
is publicanis regiis nonnullas iniurias intulisset, respondet omni
culpa in Iudaeos quosdam reiecta, et quomodo se res tota habuerit,
narrat; rogat, ut apud regem det operam, ne idem praefectus Ragne-
tensis nunc Lublinum, nunc alias in locos evocetur ad reddendam
sub iure iurando rationem de pecunia ex regis mandato exacta.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 503-507 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, sincere nobis dilecte.

Accepimus his diebus a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, literas, quibus Regia Maiestas eius de nonnullis iniuriis, quas praefectus noster Ragnetensis¹⁾ publicanis regiis intulisset, prolixius ad nos perscribit et nos, ut praefectum nostrum compesci faciamus, serio cohortatur. Non potuimus itaque facere, quin ea de re ad praefectum Ragnetensem diligenter prescripta, eius circumstantias omnes impensius inquireremus. Certiores itaque nos reddidit accidisse, ut quattuor aut quinque viatores venerint Jurburgum, quorum unus quattuor habens argentea pocula ea voluerit divendere et solutionis loco ab emptore equum accipere, promittens etiam iis, qui cum eo Jurburgum venerant, sex Ioachimicos, si pocula ea ibi venderet. Fuisse autem eodem tempore Jurburgi cives quosdam Tilsenses et inter eos quandam aurifabrum. Qui cum et viderent et licerentur ea pocula, omnibus circumstantiis diligentius expensis, venditorem ea fuisse furatum haud falso (ut ex sequentibus apparebit) suspiciati sunt. Hi postea interrogatis ipsius suspecti hominis comitibus, anne eius aliquam haberent notitiam, et iis nullam, nisi quod mercatoris titulo se in itinere illis adiunxisset, respondentibus, noctu ea pocula ad locumtenentem Jurburgensem detulerunt.

Ascivit sibi tum suspectus ille patronum Iudaeum, publicanum, qui cum eo locumtenentem accedens durioribus sane verbis et multis minis pocula repetit, conficta subito fabula eum iuvenem honesta ortum esse familia et sibi, quod aliquando conservi apud unum quandam herum fuissent, apprime notum, caveret itaque, ne imprudentia sua magnum sibi malum pararet. Sed cum locumtenens, contemptis eiusmodi minis, nihilominus urgeret, ut suspectus doceret, a quo et quo iure ea pocula accepisset, responsum ab eo est se hero cuidam

triennium servivisse, qui inopia compulsus salarii loco ea pocula sibi dedisset. Ac primo quidem negarat is se esse Iudaeum, postea vero id fuerat confessus. Qua sermonis varietate et inconstantia suspicio de furto magis magisque fuit confirmata.

Locumtenente itaque pro rei circumstantiis se pocula Iudeo redditurum, nisi ius suum sufficienter probasset, negante, persuasere hi duo Iudei duos cives Jurburgenses, ut ii interposita fide sua detenta pocula liberarent. His fideiussoribus Iudei ultro decem istas lesta salis et nonnullam pecuniam in cistula conclusam securitatis causa tradidere, sancte pollicentes intra duas hebdomadas se Jurburgum redituros et de poculis, quod bono iure ea tenerent, satis evidentera testima allatueros. Cum tamen in hunc usque diem non sint reversi, sed saltem alium quendam Iudaeum, qui et sal et pecuniam, quae ad thesaurum regium pertineret, repeteret, miserint, pecuniae autem perparum in cistula fuit repositum, quando Iudeus, antequam cistulam consignatam fideiussoribus tradiderat, pecuniam omnem, vix decem aut duodecim marcis ad summum relictis, inde exemerat.

Non multo post Iudei, datis ad locumtenentem literis, quibus suspectum excusarunt, petiverunt ab eo, vellet decem praedictas lesta salis cum pecunia extradere. Iis locumtenens respondit se id facere non posse, nisi prius servitorem suum Jurburgum redire iubarent, qui fideiussoribus sal istud cum cistula tradidisset, ne hi forte propterea periclitari haberent necesse.

Dum haec ita per epistolas mutuo geruntur, venit Jurburgum Vilnensis quidam, Tretschackeit appellatus, literas a Magnifico Domino Palatino²⁾ et Senatu Vilnensi afferens, quibus postulabatur, ut huic Petro, amissa quaedam pocula sua repetituro, debita iustitia administraretur. Perhibuerat etiam Senatus Vilnensis huic Petro testimonium, cistam argenteis vasis et pecunia plenam, dum aedes ipsius deflagrarent, effractam et ex ea inter cetera quattuor illa pocula fuisse sublata. Ex quibus circumstantiis liquido constat praefectum nostrum nec sal nec pecuniam arrestasse, dimittere autem id, quod fideiussoribus pignoris loco traditum fuerat, tam facile non potuisse. Petrus enim ille, qui pocula nunc repetit, acriter urget, ut fideiussores de iure respondeant, atque ni fiat, se id summae iniuria et denegatae iustitiae nomine ad S. Maiestatem Regiam delaturum comminatur.

Quae cum ita se habeant, clementer a Magnificentia Vestra postulamus, velit pro officio suo efficere, ne Iudei impune nos aut servidores nostros apud Maiestatem Regiam deferant, sed dignas improbitate sua poenas luant. Neque enim hoc solum ab ipsis impudenter est confictum, verum et illud alterum, quod de interdicta sibi earum rerum emptione, quae ad communem sustentandi rationem pertinerent, atque adeo de ipsa hominum consuetudine sunt conquessti. Hoc enim solum praefectus noster se edixisse affirmat, ut a melle

emendo abstinerent, quod tabernatores Jurburgenses quererentur a Iudeis id caro pretio coemi, ita ut illi nec mulsum possent coquere, nec censum annum nobis persolvere, et ne pro libitu omnia loca extra limites Lithuaniae pervagarentur subditosque nostros, pro innata avaritia sua, degluberent. Quo quidem ab aequitate nobis non videtur abscessisse. Si enim censu anno privemur, nihil plane erit reliquum, quod ex ea praefectura expectemus. Atque haec quidem ad Iudeorum iniquam delationem dicta sufficient.

Non possumus autem hoc loco praeterire praefectum nostrum Ragnetensem magnopere conqueri, durioribus se nonnunquam literis nunc Lublinum, nunc alio evocari, ut de pecunia ex sententia et mandato S. Regiae Maiestatis exacta sub iuris iurandi religione rationem reddat, cum id nec teneatur facere, nec discedere longius ab oeconomia sine magno nostro incommodo possit. Rationem quidem referre, si qui ad accipiendam eam mittantur, minime recusat. Postulamus itaque etiam atque etiam amanter, ut id negotii ita procuretur, ne praefectus noster aliqua propterea molestia afficiatur, qui quidem dare operam est iussus, ut in exigenda pecunia voluntati sese regiae quam maxime accommodet. Reliquum igitur est, ut Magnificentia Vestra, aliquibus suis ad praefectum nostrum missis, pecuniam et rationem postulet. Quam diu salvam esse cupimus. Datae.

In folio separato: Ad Dominum Nicolaum Narussowitz, V Iulii anno 66.

1) *Theodoricus Packmohr.*

2) *Nicolaus Radziwill «Rufus».*

N. 5983.

S.l., 6.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

a rege per litteras admonitus de iniuriis, quibus praefectus suus Ragnensis exactores telonei regii affecerat, rem totam accurate describit et culpam in Iudeos reicit; petit, ut idem praefectus Ragnensis a molestia liberetur se crebro Lublinum vel alio conferendi ad redendum sub iure iurando rationem de pecunia ex regis mandato exacta (cfr. N. praeced.).

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 508-513 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

Cum nuper S. Regia Vestra Maiestas de nonnullis iniuriis, quibus praefectus meus Ragnensis¹⁾ exactores thelonii S. Regiae Maiestatis Vestrae affecisset, eoque pacto thesauro S. Regiae Vestrae Maiestatis haud leviter incommodasset, perscripsaserit, nolui, quod officii mei esse videbatur, praetermittere, sed statim ea de re ad praefectum

meum serias dedi literas. Ad quas cum is nunc responderit et omnes rei circumstantias diligentius ad me perscripserit, operae pretium atque adeo quod ipsa necessitas postulat facturum me existimo, si S. Regiam Vestram Maiestatem, quemadmodum sese res habeat, sedulo faciam certiorem.

Scribit praefectus meus quattuor aut quinque viatores Vilna Jurburgum venisse, quorum unus quattuor argentea habuit pocula, quae se venditum et solutionis loco ab emptore equum acceptum dixit. Ceteris etiam, qui cum eo fuerunt, sex Ioachimicos promisit, si ea pocula divenderet. Eodem quoque tempore fuere Jurburgi cives quidam Tilsenses et unus ex illis aurifaber. Ii cum et pocula viderent et licerentur, ex omnibus circumstantiis suspicati venditorem ea pocula fuisse furatum, noctu ea ad locumtenentem Jurburgensem detulerunt. Qui cum comites ipsius suspecti hominis interrogasset, utrum eius aliquam haberent notitiam, responderunt illi prorsus nullam, nisi quod in itinere se eis mercatoris titulo comitem adiunxisset. Ascivit sibi tum suspectus ille patronum Iudaeum, vectigalis exactorem, qui cum eo locumtenentem accedens durioribus sane verbis et multis minis de reddendis poculis expostulare coepit, configens fabulam quandam, iuvenem eum honesta ortum esse familia sibique, quod uni aliquando hero servivissent, apprime notum. Caveret itaque, ne imprudentia sua ingens aliquod malum sibi conciliaret. Sed locumtenens, contemptis vanis istis minis, nihilominus institit, uti rationem, unde pocula illa haberet, redderet. Ibi suspectus ille respondit triennium se hero cuidam servivisse, qui inopia compulsus salarii loco ea pocula sibi dedisset.

Ac primo quidem negavit is se esse Iudaeum, postea vero est confessus, affirmans ab hero suo Iudeo ea pocula qua supra conditio ne sibi fuisse data. Qua sermonis varietate et inconstantia suspicio de furto magnopere confirmata est. Cum itaque locumtenens, quamvis crebro interpellaretur, pocula se Iudeo, re hunc in modum se habente, redditum negaret, cives duo Jurburgenses, a Iudeis blandis persuasionibus ad id perducti, fidem suam pro illis astrinxerunt. His duobus civibus Iudei ultro decem lastas salis et nonnullam pecuniam in cistula quadam occlusam securitatis caussa tradidere, sancte polliciti intra duas se hebdomas Jurburgum reddituros et satis evidenter testimonia de poculis, quod bono iure ea tenerent, allatueros. Cum tamen usque ad hunc diem non redierint, sed alium saltem Iudeum quendam miserint, qui et sal et pecuniam, quae ad thesaurum S. Regiae Vestrae Maiestatis pertineret, repetiit, quamvis pecuniae perparum et non ultra decem aut duodecim marcas ad summum (testantibus id fideiussoribus et scriba quodam theloneario) in ipsa cistula fuerint. Iudeus enim publicanus, pecunia prius ad se recepta, cistulam consignatam demum fideiussoribus tradiderat. Paulo post Iudei, datis ad locumtenentem literis excusatoque

suspecto, petiverunt ab eo, ut et sal et cistulam sibi extraderet. Quibus locumtenens rescripsit et vicissim ab illis petiit, mitterent rursus Jurburgum servitorem suum, qui fideiussoribus sal istud cum cistula tradidisset, ne hi forte in malum aliquod propterea incidenter.

Dum haec per epistolas mutuo aguntur, Vilnensis quidam, Petrus Treschackeit appellatus, Jurburgum pervenit, literas a Magnifico Domino Palatino²⁾ et Senatu Vilnensi afferens, quibus postulabatur, ut huic Petro, amissa quaedam pocula sua repetituro, debita iustitia administraretur. Perhibuerat etiam Senatus Vilnensis huic Petro testimonium et cistam quandam, argenteis vasis et pecunia plenam, cum aedes ipsius incendio deflagrassent, effractam, atque ex ea quoque quattuor ea pocula fuisse subrepta. Ex his liquido patet praefectum meum nec sal nec pecuniam invitis Iudeis arrestasse, neque id, quod fideiussoribus servandae fidei caussa concessum fuerat, dimittere tam facile potuisse. Iste enim Petrus, qui pocula sua nunc repetit, acriter urget, ut fideiussores ad satisfaciendum sibi adiganter, atque, ni fiat, se hoc summae iniuriae nomine ad S. Regiam Vestram Maiestatem delaturum comminatur.

Peto itaque a S. Regia Vestra Maiestate etiam atque etiam submisce, nolit in animum inducere suum me, dum vivam, unquam commissurum, ut subditi aut servitores S. Regiae Vestrae Maiestatis a meis subditis ulla iniuria impune afficiantur. Cum autem huius rei ea sit ratio, quemadmodum a me prolixius commemorata est, fecerit S. Regia Maiestas Vestra rem multo aequissimam, si in Iudeos, qui falso hoc conquesti sunt, id statuerit, quod improbitate sua maxime commeruerunt.

Quod ad illud attinet, quod iidem Iudei de interdicta sibi in territorio Jurburgensi omni negotiatione victualium et ceterarum rerum ad communem sustentandi rationem pertinentium emptione, adeoque ipsa hominum consuetudine, questi sunt, id factum esse praefectus meus plane negat. Hoc quidem fatetur tabernatores Jurbenses querulis verbis ad se detulisse, a Iudeis mel omne caro pretio coemi, ita ut ipsi nec mulsum possint coquere, nec debitum censem nobis persolvere. Quam ob rem se ad interdicendam Iudeis mellis emptionem tantum, ne annui reditus mei, qui praeter censem nulli sunt, prorsus imminuerentur, et ne pro libitu extra limites Magni Ducatus Lithuaniae quaevis loca pervagarentur et pro innata sua cupiditate subditos meos degluberent, necessario fuisse compulsum.

Quod cum ita sit, S. Regiam Vestram Maiestatem et hac iusta excusatione facile acquieturam et Iudeorum iniquum propositum minime probaturam esse vehementer confido. Non possum autem hoc loco praeterire dictum praefectum meum Ragnetensem multis verbis magnopere conqueri, percrebras et duriores se a praefectis thesauri S. Regiae Vestrae Maiestatis accipere literas, quibus iubeatur Lubli-

num et alio se conferre et iure iurando de exacta a Jurburgensibus et Novovoliensibus ex sententia et mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis pecunia rationem reddere, cum id neque teneatur facere, neque discedere ab oeconomia sine magno incommodo nostro longius possit. Hoc quidem non recusat, cum fides sua praefectis aerarii adeo sit suspecta, ut eius rei rationem referat, si qui a S. Regia Vestra Maiestate ad accipiendam eam mittantur. Quod cum aequa iustum sit, et ego opera eius tam diu carere, quoad tam longinquum iter conficiat, minime possim, maiorem in modum oro, velit S. Regia Vestra Maiestas negotium hoc ita clementer procurare, ut ne de iure meo hypothecario mihi aliquid decedat, neque praefectus meus ab aerarii praepositis per eiusmodi literas molestia aliqua afficiatur. Ego quidem serio ipsi iniunxi, ut in exigenda pecunia eam omnino iniret rationem, qua voluntati S. Regiae Vestrae Maiestatis quam maxime satisficeret. Quod reliquum est, toto pectore exopto, ut S. Regia Vestra Maiestas felicissimis successibus abundans diuturna fruatur incolmitate. Datae.

Commissio Principis per Cancellarium³⁾
praesentibus Curiae Magistro⁴⁾ et Archimarschalco⁵⁾
Curiae Magister audiens approbavit
Princeps ipse audivit et placuit
praesente Casimiro Czwerg

In folio separato: Ad S. Regiam Maiestatem Poloniae, die IV Iulii,
anno LXVI.

- 1) *Theodoricus Packmohr.*
2) *Nicolaus Radziwill «Rufus».*
3) *Ioannes a Kreitzen.*

- 4) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.*
5) *Ioachimus Borcke.*

N. 5984.

E Regio Monte, 10.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Iacobo Uchański, archiepiscopo Gnesnensi, R.P. primati,
pro Godescalco Zimmermann, cive Gedanensi, ab abbatे Olivensi posses-
sionibus suis in illo territorio sitis vi electo et proventibus ex eis
privato, intercedit et petit, ut auctoritate sua abbatem adigat, quo
eidem Zimmerman sua restituat et negotium amice componi patiatur.
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 514-515 (et Conc., H B A, B, K. 1189).*

Reverendissime in Christo Pater, Amice nobis Charissime.

Significavit nobis Honestus Gotschalck Zimmerman, civis Gedanensis, libello supplici se ab Abbatе monasterii Olivaе¹⁾ indicta causa, praeter aequum et bonum, ex possessionibus suis, agris, pratis ac immunitatibus in ipsius territorio sitis, quas elapsis aliquot annis

partim debiti nomine iuris sententia obtinuerat, partim pretio satis magno redditibusque annuis inde solvendis ab Abbatie piae ac felicis memoriae²⁾, huius praedecessore, et conventu monasterii coemerat, quieteque et absque cuiusquam impedimento usque huc possederat et pro arbitrio iis usus fuerat, vi electum, fructibus ac proventibus omnibus ex agris ac pratis privatum esse atque in hunc usque diem, etsi defuncti Abbatis conventusque totius consignatis literis, Sacraeque Regiae Maiestatis super hoc contractu communicata confirmatione ac concessionibus bona fidei, se possessorem fuisse satis docere testatumque facere possit, privari.

Ideoque a nobis submisse petiit, ut aequitate causae moti apud Reverendam Vestram Paternitatem, cuius iurisdictioni Abbatem subiectum novit, intercederemus. Cuius petitioni, cum eam ab honestate et aequitate minime alienam esse iudicaremus, abnuere noluimus. Quapropter amanter Reverendam Vestram Paternitatem etiam atque etiam petimus, ut sua authoritate, qua plurimum apud Abbatem et potest et pollere debet, interposita, hortetur eum, ut praedicto Zimmermanno sua restituat aequisque ac tollerabilibus conditionibus negotium hoc amice transigi atque componi patiatur, ne porro dictus civis invitus ius suum adversus Abbatem prosequi aut a S. Regia Maiestate, ut confirmationem concessionesque suas regias firmas atque ratas habeat, petere cogatur. Quod nos a Reverenda Vestra Paternitate pro ea, qua est erga omnes humanitate pietateque singulari et iustitia cuivis administranda amore eximio praedita, facile impetraturos confidimus. Eritque id nobis tam gratum, quam quod gratissimum. Quod reliquum est etc. Datae Regiomonti, 10 Iulii anno 66.

In folio separato: Reverendissimo in Christo Patri, Domino Iacobo Uchanski, Sanctae Metropolitanae Ecclesiae Gnesensis Archiepiscopo et Regni Poloniae Primati, Domino et Amico nostro honorando.

1) *Nicolaus Locka* († 1569).

2) *Lambertus Schlieff* († 1559).

N. 5985.

S.l., 11.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Godescalco Zimmermann, cive Gedanensi (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 518-519 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5986.

S.l., 11.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, capitaneo Samogitia generali [Ioanni Chodkiewicz]
pro subdito suo de districtu Tilsensi, nobili Ioanne Perskau, iurisdictio-
ni regiae se submittere cupiente, intercedit et rogat, ut duo praediola
in praefectura Jurborgensi ipsi concessa, etiam post eiusdem di-
strictus exemptionem iure hereditario possidere queat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 516-517 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5987.

S.l., 11.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, cancella-
rio [Valentino Dembiński], marscalco [Ioanni Firley], castellano
Cracoviensi [Spytconi Jordan], palatino Cracoviensi [Stanislao
Myszkowski], episcopo Cracoviensi [Philippo Padniewski]
pro Ioanne Zimmermann, negotium habente, in quo ad tribunal regium
appellatum est, intercedit et petit, ut huius subditi regii causam
propter maiorum suorum in Rempublicam Gedanensem benemeri-
ta sibi commendatam habeant.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 517-518 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5988.

S.l., 13.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Constantino Basilio Ostrogski, palatino Kiovensi,
nuntiat se in negotio de bonis testamento Gabrielis Tarlo sibi legatis
sententiam suam, quam Achilli Scipioni, internuntio eius, eorum-
dem bonorum nomine ad se misso, aperuit, mutare non posse, et
sperat eum quoque eidem sententiae suaee acquieturum esse.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 521 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

S.l., 19.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Mączyński

ei, una cum Paulo Scalichio et Friderico a Kanitz, testamenti Francisci Lismannini executoriali nominato, verum eiusdem testamenti exemplum mittit et scire cupit, quonam tempore munus hoc ei cum collegis obire integrum sit, ut de adventu eius Scalichium et Canitium temporius certiores facere possit, vel si ipse huic negotio vacare nequeat, an id collegis suis demandandum esse putet.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 522-523 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Generose, nobis sincere et fidelis dilecte.

Non dubitamus audivisse Generositatem Vestram de obitu Francisci Lismannini¹⁾. Quia vero post mortem ipsius testamentum, manu eius propria scriptum, nobis exhibutum est, cognovimus Generositatem Vestram cum Domino Schalichio et Friderico a Canitz pro executoribus eiusdem testamenti scriptam et nominatam esse. Quam ob rem aliter faciendum esse non putavimus, quam ut verum eius testamenti exemplum Generositati Vestrae mitteremus. Cum autem executio testamentaria praesentiam omnium executorum requirat, scire a Generositate Vestra cupimus, quonam tempore integrum Generositati Vestrae sit munus hoc executorum cum collegis suis hic obire, ut de certo Generositatis Vestrae adventu eo temporius Dominum Schalichium et Fridericum Canitium certiores facere possimus, vel si Generositas Vestra vacare executioni hic non possit, an totum hoc negotium collegis suis executoribus dandum censeat. Cuperemus autem eam executionem primo quoque tempore confieri, propterea quod Lismannini viduam²⁾ de migratione in patriam cogitare intelligimus.

Idcirco clementer cupimus, ut Generositas Vestra suam nobis sententiam perscribat, simulque de pensione regia ac mille florenis, quorum in testamento fit mentio, et si quid apud alios ex credito istic Lismannino competit aut competere posse videatur, perquirat, ut eo facilior testamenti executio fieri possit. Postulamus quoque, ut Generositas Vestra locum nobis certum assignet, quo literae nostrae

porro ad Generositatem Vestram scribendae a nobis mitti debeant.
Factura nobis Generositas Vestra rem gratam. Quae bene valeat.
Datae.

Commissio Principis propria
praesentibus Truchsessio³⁾, Funcio⁴⁾ et C. Dargitz⁵⁾

In folio separato: Ioanni Mazinski, S. Regiae Maiestatis Poloniae etc.
aulico, die XIX Iulii anno LXVI.

Alia manu: Der her cantzler hat beholten, wan diese copie registrirt
wirt, das man schreibe: das original des Lisemannini
testament liege im stüblein in der capsen hinter thuren, die
intitulirt: fr. dt. rhete und diener schreiben an fr. dt.

1) *Lismaninus obiit mense Aprili 1566.* 4) *Ioannes Funck.*

2) *Claudia.*

5) *Caspar Dargitz.*

3) *Ioannes Jacobus Truchsess in Waldburg.*

N. 5990.

S.l., 25.VII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Mniszech, capitaneo Lucoviensi,
rogat, ut mandatariis suis in Russiam missis, qui pro aulae suaे necessitate
400 boves emant et sine vectigalium solutione permissu regis
per Regnum Poloniae agant, per bona eius, ubi telonea constituta
sunt, transituris, sine vectigalium exactione eosdem boves pellere
permittat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 523-524 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5991.

S.l., 12.VIII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
litterae credentiales pro Venceslao Schack de Stangenbergo, consiliario et
internuntio suo, ardua quaedam negotia secretius regi exposituro.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 529 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5992.

S.l., 14.VIII.1566.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
gratias agit regi, quod de voluntate bona Jurborgensia, sibi ante paucos
annos iure hypothecario concessa, redimendi se maturius certiorem
reddere voluit.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 529-530 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5993.

S.l., 15.VIII.1566.

*Albertus dux in Prussia
Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco et thesaurario,
promissas 400 oves ex ovibus suis Ragnentensi, Tilsensi vel Ortelsbur-
gensi se ei nunc tandem mittere posse nuntiat et rogat, ut unum
ex suis eas oves postulatum Ortelsburgum mittat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 530-531 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5994.

S.l., 16.VIII.1566.

*Albertus dux in Prussia
Sebastiano Zucker, civi Cracoviensi,
unam tunnam olei silvestris («wiltnus oell») dono mittit.*

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 195v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5995.

S.l., 21.VIII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Shizewski, Petro Zborowski, Ioanni Kostka, Nicolao Firley de Dąbrowica, commissariis regiis,
quod se de adventu suo per litteras certiorem reddiderunt, gratias agit
et nuntiat se eis commoda diversoria in Regio Monte procurari ius-
sisse.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1998.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 532 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5996.

S.l., 22.VIII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
pollicitationis regiae, nobili Volmaro Uxkul factae, de bonis quibusdam
illi in Livonia largiendis et donandis eum submonet et petit, ut
«propter virtutem et egregia de terris Livoniae Uxkulorum merita
huic Wolmaro bona praedicta clementer donet».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 533 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 5997.

S.l., 4.IX.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Petro Dameraw Wojanowski, capitaneo Graudentinensi, cum co-
gnatis suis de bonis quibusdam sub iurisdictione sua sitis contro-
versiam habente, intercedit et rogat, ut «huius Petri de Woyno
cognatos ad meam decisionem diiudicationemque clementer re-
mittat nec illas ipsis in hoc negotio citationes, mandata vel
similes literas impertiatur».*

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 1033.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 537-538 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

S.l., 11.IX.1566.

Albertus dux in Prussia

*Stanislaο Ostrorόg, castellano Międryzecensi,
nuntiat sibi gratum fuisse audire eum vanis de se sparsis rumoribus ac
suspicionibus fidem non habere, se enim innocentiae suae testem
Deum et conscientiam suam habere; accuratius narrat, unde eius-
modi malevoli de se rumores oriri potuerint; petit, ut porro etiam
innocentiam suam apud regem et proceres Regni tueri perget; se
filio suo monitorem fore scribit, ut vestigia patris sequatur et amici-
tiam cum filio eius totaque eius familia continuare satagat.*

Conc., H B A, B, K. 1189. (in Ostpr. Fol. deest).

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis singulariter dilecte.

Etsi Magnificentiae in nos Vestrae synceram fidem ac plus quam fraterni animi voluntatem multis antea argumentis perspectam cognitamque habemus, tamen magis magisque ea omnia confirmant literae, quas de vanis apud S. Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, adeoque passim in Regno Poloniae sparsis rumoribus ad nos dedit. In eo enim, quod Magnificentiam Vestram tantopere iis affici ac nobis condolere videmus, tum quod tam praeclare ac candide de nostra innocentia sentit, ut non modo nos de rumoribus istis certiores esse reddendos, sed S. Regiae Maiestati etiam ordinibusque Regni eam suspicionem de nobis eximere sategerit, fraterni atque ingenui in nos pectoris constantia ac veteris amoris perpetuitas elucet. Quae nobis a Magnificentia Vestra tam grata accident, ut gratius acceptiusque nihil nobis accidere possit. Dabimusque operam, ut, quoad in nobis vitalis erit spiritus, si non superare ea, aequare tamen queamus, magnique apud nos fieri atque unice nobis charam esse Magnificentiam Vestram omnes intelligent.

Ut autem ad rumores nullo merito nostro sparsos redeamus, laetamur in primis, quod innocentiae nostrae Deum et conscientiam nostram testem habemus, et quod S. Regiam Maiestatem fidem illis non adhibere ex Magnificentia Vestra cognoscimus. Quia vero Magnificentia Vestra amanter a nobis petit, ut de his omnibus certior a nobis reddatur, non gravatim in eo Magnificentiae Vestrae morem geremus. Quae de Principe Germanico, nobis affinitate iuncto, in coadiutorem cooptando et tutelae filii nostri¹⁾ praeficiendo, deque traditis eidem coadiutori arcibus iam aliquot spargi de nobis Magnifi-

centia Vestra scribit, ea salva cum Magnificentiae Vestrae venia falsissima esse profitemur, satisque mirari non possumus hominum illorum temeritatem vel potius malevolentiam, qui talia tamque acerba de nobis comminisci non erubuerunt. Facile autem divinare possumus, quinam sint auctores eius notae impudenter nobis aspersae.

Qui cum nos a multis annis videant a Serenissimo Rege, Domino et consanguineo nostro charissimo, amari, et inclitos quoque Regni proceres et senatores favore nos constanti fraterneque et amanter prosequi, nos quoque perpetua observantia S. Regiam Maiestatem Suam venerari et colere, nihilque a fide beneficiarii et consanguinei Principis alienum committere, senatores quoque et omnes Regni ordines, uti par est, fraternalis amicisque studiis complecti, invidia fortassis ducti, cum animum Regis clementissimum, senatorum vero et ordinum voluntates addictissimas a nobis alienare suamque in nos bilem evomere hactenus nequierint, hoc tandem commentiti sunt, ut praetextu maturioris aetatis nostrae fidei nos oblitos esse accusarent. In quo quam inique fecerint, exitus probabit. Quod autem in annos septuagenarios consenuimus, beneficio Dei acceptum ferimus. Cui assiduis etiam orationibus nostris gratias agimus, quod nos in purioris doctrinae cognitione conservaverit, atque ad extremum vitae nostra halitum ut conservet, petimus. Eidem quoque aeterno Deo, Patri Domini nostri Iesu Christi, sit gratia, quod nobis in corpore languenti sanam mentem cum certo et firme adhuc virilis discretionis intellectu concederit, neque repuerascere (uti a malevolis nostris insimulamur) permiserit.

Quod vero ad fidem et obsequia nostra S. Regiae Maiestati et inclito Poloniae Regno debita attinet, hoc sciant adversarii nostri, nos ab ea constantia et ingenui Principis probitate, quam S. Regia Maiestas ordinesque et senatores Regni in florenti aetate nostra perspectam cognitamque habuerunt, etiam in grandaeva hac aetate nostra Dei beneficio nihil remissuros esse, nihilque post Deum in hac vita S. Regiae Maiestatis Suae eiusque Regni honore, dignitate, commodis ac fortunis charius habituros esse, inque colenda fideliterque observanda S. Regia Maiestate Sua ac provehendis rebus illius pro summa virili omnibus, in honorandis et amandis Regni procedibus, etsi corpore affecto et languido, fide tamen sincera et obsequio debito ad eam usque horam perseveraturos esse, qua nobis ex hac mortalitate emigrandum erit. Atque haec de prioribus sparsi rumoris partibus Magnificentiae Vestrae brevibus describere libuit.

Quod ad postremum illud de loco motis quibusdam consiliariis nostris attinet, ad hoc S. Regiae Maiestati tam per literas, quam per graves illius internuntios ita respondimus, ut non dubitemus S. Regiam Maiestatem Suam acquiescere causis iis, quae nos ad hoc impu-

lerunt, videlicet licere non modo Principibus, sed cuivis etiam patrifamilias in sua domo, ut quem ad oeconomiam aut obsequia alio minus aptum intelligit, ut illum loco moveat et aliud sufficiat. Sicut et in ministrorum arbitrio est, ut pinguioribus stipendiis vel aliis utilitatis, commodis et accessionibus allecti veteri domino amplius ab obsequiis esse noluerint, liceat illis missionem petere et operam suam alteri addicere. In quo an peccatum a nobis sit aliquid, non videmus. Multo minus ex alieno praescripto contra voluntatem ministros alere cogi quemquam posse aut debere. Marschalco²⁾, Succamerario et aliis, ipsismet potentibus, venia discedendi ab aula nostra est data. Quod si quis secus nos fecisse dixerit, ille qua fronte hoc fecerit, videat. Ex his Magnificentia Vestra iudicare potest, quam indigne et nullo merito nostro amarulenta malevolorum nostrorum lingua nos traduxerit.

Itaque amanter ac fraterne Magnificentiam Vestram rogatam habemus, ut non ipsa modo excusatos nos in eo accusationis genere habeat, sed porro etiam apud S. Regiam Maiestatem et proceres Regni, sicut coepit, excusare et nostram innocentiam tueri perga.

Studium Magnificentiae Vestrae, quod filio nostro tantopere cum sui humiliatione defert, ex abundantia amoris in nos eundemque filium nostrum profici sci facile animadvertisimus. Estque illud nobis tam gratum, ut non modo filium Magnificentiae Vestrae³⁾ filii nostri loco habeamus, verum etiam filio nostro monitor assiduo simus, ut vestigia nostra sequatur atque eam amicitiam, quae nobis cum Magnificentia Vestra intercedit, cum filio eiusdem totaque Magnificentiae Vestrae familia contrahere et continuare satagat. Interim autem amanter fraterneque petimus, ut Magnificentia Vestra, sicut coepit, filium nostrum amare sibique commendatum habere ne desinat.

Factura in eo nobis rem longe gratissimam ac per omnem occasionem, quoad vixerimus, demerendam. Quod reliquum est, Magnificentiae Vestrae diuturnam incolumitatem fausta que omnia ac prospera ei obvenire exoptamus. Datae.

Commissio Principis propria

Idem audivit die 9 Septembris hora 12 meridiana
praesente Thuselio⁴⁾ et interveniente, cum legerentur,
Dargitio⁵⁾. Et Cancellarius⁶⁾ audivit.

*In folio separato: Stanislao Comiti ab Ostrorok, 11 Septembris anno
66.*

1) *Albertus Fridericus.*

4) *Ioannes Iacobus Truchsess?*

2) *Ioachimus Borcke.*

5) *Caspar Dargitz.*

3) *Ioannes Ostrorog (natus a. 1565).*

6) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5999.

S.l., 2.X.1566.

*Albertus dux in Prussia
commissariis regiis [Ioanni Stuzewski, Petro Zborowski, Ioanni Kostka,
Nicolao Firley de Dqbrowica]
nuntiat se Petro Morlino ab eis citato licentiam coram ipsis comparendi
ea condicione daturum esse, si ipsi salvi conductus litteris ei caverint.
Cfr. El. XLI, N. 1999.
Ostpr. Fol., vol. 57, f. 539.*

Ad Legatos S. Regiae Maiestatis Poloniae, II Octobris anno etc.
LXVI.

Servitor noster Petrus Mörlin citationem Magnificentiarum et Generositatum Vestrarum nobis exhibuit eius tenoris, ut is se coram Magnificentis et Generositatibus Vestris die crastino hora octava antemeridiana sistat. Etsi autem ipsius opera et obsequiis singulis fere horis indigemus, tamen ea conditione citationi ut pareat assensi sumus, si Magnificentiae et Generositates Vestrae salvi conductus seu publicae securitatis literis illi caverint, ut tuto, secure ac citra impedimentum aliquod illas accedere rursusque ab iisdem ad nos in nostrum conclave redire et obsequiis suis praeesse libera potestas ei fiat. Ad haec ut nobis Magnificentiae et Generositates Vestrae animorum suorum sententiam rescribant, amanter clementerque cupimus etc. Datae etc.

Relatio Doctoris Matthiae Stoii¹⁾
hora 5 pomeridiana
Princeps ipse et Doctor Jonas audivere
Andreas Moncer S[ecretarius]

1) consiliarius et medicus ducis Alberti.

N. 6000.

S.l., 5.X.1566.

*Albertus dux in Prussia
R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, regi Poloniae
per Fridericum ab Aulack, consiliarium suum, in negotiis suis ad regem
missum, eum salutat et rogat, ut facilem aditum ipsi praebeat et
nomine suo dicenti plenam fidem adhibeat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, f. 540 (et Conc., H B A, B, K. 1189).*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro litteris, regiae benevolentiae erga se et filium suum testibus, gratias agit; responsum in negotio ducis Megapolensis per oratores regios se esse missurum promittit; cum rex mille equitibus ad praesidium Livonicum destinatis nunc non indigeat, se hac in re voluntati regiae obtemperare velle.

Cfr. El. XXXII, NN. 1031, 1032.

Ostpr. Fol. vol. 57, ff. 542-543 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, per Generosum Ioannem Sulikowski, S. Regiae Maiestatis Vestrae secretarium, ad me missas, accepi. Ex quibus cum S. Regiam Vestram Maiestatem nihil a pristina sua in me clementia remisisse intelligam, resque tum meas tum filii mei charissimi¹⁾ omnes magnae sibi curae esse animadvertam, maximas eo nomine S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago. Neque committam, ut aliter ea omnia a S. Regia Vestra Maiestate accepisse videar, atque solent et debent accipi omnia, a necessario et clementissimo Rege in consanguineum et beneficiarium Principem profecta. Cuius rei cum oratores et internuntios S. Regiae Vestrae Maiestatis apud illam mihi testimonium perhibituros esse minime dubitem, haec omnia, et quae de Illustri Domino Duce Megapolensi²⁾ S. Regia Vestra Maiestas ad me perscripsit, in redditum ipsorum ad S. Regiam Vestram Maiestatem submisse reiicio. Sicut autem omnes tractatus ea lege et conditione istituti sunt, si S. Regia Vestra Maiestas illos esset approbatura, ita in posterum quoque nihil unquam committam, quod a S. Regiae Maiestatis Vestrae voluntate vel a meo debito officio alienum videri possit.

Quod ad mille equites ad praesidium Livonicum in gratiam S. Regiae Maiestatis Vestrae destinatos attinet, siquidem S. Regia Vestra Maiestas illis se nunc minime indigere scribit, facile in eo S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntati acquiesco, iamque missione iisdem data mandavi, ut ita his terris excedant, ne quid praedando aut alia quavis ratione incommodent. Quod eos omnino facturos esse plane confido. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati brevibus rescribenda esse duxi. Quam feliciter valere exopto. Datae.

Relatio Domini Doctoris Jonae.

In folio separato: Regi Poloniae, die 8 Octobris anno 66.

1) *Albertus Fridericus.*

2) *Ioannes Albertus.*

N. 6002.

S.l., 8.X.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae,
fugam Pauli Wobeser cum magno suo et subditorum suorum periculo
coniunctam esse nuntiat et petit, ut – si in Samogitia deprehenderetur
– tantisper in vinculis custodiatur, donec a se per litteras deposcatur.
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 541-542 (et Conc., H B A, B, K. 1189).*

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilekte.

Paulus Wobisserus, Pomeranus, quem mille equitibus in Livoniam contra hostes S. Regiae Maiestatis Poloniae etc., Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, ducendis magno cum detimento nostro praefeceramus, ante biduum ab equitibus ex voluntate S. Maiestatis Regiae nunc dimissis, datae fidei oblitus, clam pedesterque se subduxit. Cum autem ipsius fuga cum magno et nostro et subditorum nostrorum omnium periculo coniuncta esse videatur, omnem movendum lapidem esse existimamus, ut is quam primum vicissim queat comprehendi. Quam ad rem cum consilio ac industria Magnificentiae Vestrae, si forte per Samogitiam fugam instituisse suam, magnopere indigeamus, petimus a Magnificentia Vestra peramanter, velit pro sua erga nos propensa voluntate per totam Samogitiam haud gravate procurare, ut profugus iste Wobisserus, si deprehendi alicubi potuerit, tantisper in vinculis diligenter custodiatur, donec nos ea de re certiores facti per litteras eum deposcamus. Aut si Magnificentia Vestra etiam non expectatis literis nostris eum vinctum adhibitisque custodibus bene observatum ad nos transmittere voluerit, erit id nobis tanto gratius et nos vicissim Magnificentiae Vestrae in omnibus, quoad potuerimus, libenter sumus gratificaturi. Quam bene valere cupimus. Datae.

In folio separato: Ad Iohannem Chotkiewitz, Samogithiae Capitaneum, die 5 Octobris anno 66.

N. 6003.

S.l., 25.X.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
controversiam de bonis quibusdam in Ducatu suo sitis, inter fratres
Fabianum et Christophorum Wojanowski ex una parte et patrum
ipsorum (Petrum Wojanowski) ex altera intercedentem, iurisdictio-
ni regiae non subiacere affirmat.*

Cfr. El. XXXII, N. 1033.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 544 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

Redditae mihi sunt literae, ad instantiam Nobilium Fabiani et Christophori Woianowski ratione bonorum quorundam, de quibus controversia illis est cum patruo ipsorum¹⁾, ad me scriptae. Quia vero S. Regia Vestra Maiestas postulat causam eam ad tribunal regium a me remitti, libenter in eo, sicut rebus in aliis omnibus, S. Regiae Vestrae Maiestati, si salvis pactis confieri hoc posset, acquiescerem. Sed cum bona ea, de quibus lis est, immediate in Ducatu meo sint sita, plane confido nihil S. Regiam Vestram Maiestatem iurisdictioni et privilegiis meis derogaturam esse, siquidem in pactis diserte cautum est, ut actor sub ea iurisdictione, ubi bona, de quibus controversia est, sunt sita, reum convenientat et ius suum prosequatur. Factura itaque est S. Regia Vestra Maiestas rem pactis convenientem, si quid in contrarium fieri non permiserit. Dabo autem operam, ut nobilibus praedictis in causa ipsorum debita iustitia sine procrastinatione aliqua administretur. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati submisso rescribenda esse duxi. Quam felicissime valere exopto. Datae.

Ex relatione Cancellarii²⁾, Truchsessii³⁾ et
Doctoris Jonae

In folio separato: Regi Poloniae, den 25 Octobris anno 66.

- | | |
|---|---------------------------------------|
| 1) Petrus Wojanowski, capitaneus Graud- | 2) Ioannes a Kreitzen. |
| nicensis. | 3) Ioannes Iacobus Truchsess in Wald- |
| | burg. |

N. 6004.

S.l., 30.X.1566.

Albertus dux in Prussia

«ducibus in Olyka» [Nicolaο Christophoro Radziwill et uni ex fratribus eius]

alumnum suum Damianum Nicossovium, Latinae, Germanicae et Polonicae linguarum peritum, eis commendat et rogat, ut eum itineris studiorum causa Lipsiam et in alias regiones suscipiendi comitem assument.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 545 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Officia nostra etc.

Certiores facti sumus ab alumno nostro Damiano Nicossovio, Illustritantes Vestras prosequendorum studiorum suorum caussa primum Lipsiam, deinde pro rationibus suis ad alia longinquiora loca

prefecturas, de adolescente aliquo Latinae, Germanicae et Polonicae linguarum perito, quem sibi ministrum in itinere adiungere possent, per literas inquisivisse. Qua in re cum se ob earum linguarum medium cognitionem Illustritatibus Vestris operam suam non inutiliter navaturum confideret, atqui tamen nobis, quod sumptibus et impensis nostris hucusque artibus liberalibus operam dederit, obligatus esset, maiorem in modum et demisse a nobis petiit, ut utendi hac occasione, obligatione sua nihilominus firma et rata manente, clementer sibi potestatem faceremus. Quod ipsi, pro nostra erga Illustrates Vestras singulari animi inclinatione, denegandum esse non existimavimus. Commendamus itaque Illustritatibus Vestris hunc Nicossovium eum in modum, ut quin se ipsum vitae suae probitate, honestis moribus, studio, diligentia parataque voluntate commendaturus sit, minime dubitemus. Quod reliquum est, Illustratibus Vestris fausta omnia evenire easque in re literaria summa cum laude proficere optamus. Ad id consequendum Deus omnipotens Illustrates Vestras longis temporibus conservet incolumes. Datum.

In folio separato: Ducibus in Olyka, 30 Octobris anno etc. 66.

N. 6005.

S.l., 2.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*significat se praefeturam Grobinensem, titulo hypothecario sibi oppi-
gnoratam, duci Curlandiae ante tempus praefinitum non gravatim
tradere velle, dummodo in omnibus, quae cautio hypothecaria con-
tinet, vel in parata pecunia vel alia aliqua praefectura sibi satisfiat.*

Cfr. El. XXXII, N. 1035.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 549-550 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

Redditæ mihi sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literæ, quibus scribit Illustrem Dominum Curlandiae Ducem¹⁾ etc. S. Regiae Vestrae Maiestati significasse, me non alienum esse a tradenda Illustrati Suae praefectura Grobinensi, modo de summa pecuniarum in ea praefectura inscripta mihi caveretur. Ad haec S. Regiam Vestram Maiestatem latere nolo, etsi praefectura Grobinensis a Magistro et ordinibus Livoniae ab anno sexagesimo iam praeterito usque ad annum septuagesimum quintum titulo hypothecario tenenda mihi oppignorata est, tamen amicitiae cum Illustri Domino Curlandiae Duce contractæ atque Illustratæ Suae precibus hoc dedi, quod non grava-

tim Suae Illustrati ante tempus praefinitum eam me praefeturam tradere velle promiserim, modo in iis omnibus, quae hypothecaria cautio continet, in parata pecunia mihi satisficeret; aut si parata pecunia in promptu non esset, ut aliqua alia praefectura vel bonis Ducatui meo vicinis, quae et valore in proventibus et utilitatibus praefecturam Grobinensem aequaret, mihi prospiceretur cum simili per omnia inscriptione, pleno etiam et non limitato utendi fruendique iisdem bonis iure, sicut praefectura Grobinensis mihi oppignorata est. Ad haec, ut post elapsos constituae redemptions annos summa principalis cum eo, quod ex peculiari defectus cuiusdam debito secundum pacta, cum Magistro et ordinibus Livoniae inita, singulis annis illi accessit, simul et semel mihi reponeretur.

Haec cum ita inter me et Illustritatem Suam acta sint, non abnuo postulatis S. Regiae Vestrae Maiestatis, si alterutro horum (tametsi paratae pecuniae numeratio mihi gratior esset) S. Regia Vestra Maiestas, vel ipse etiam Illustris Dominus Curlandiae Dux, mihi per omnia satisfecerit. Plane autem confido S. Regiam Vestram Maiestatem, pro sua in me clementia, non minorem mei filiique mei²⁾ quam Illustris Domini Curlandiae Ducis rationem habituram esse, eandemque mihi sortem favere, quam Illustritatis Suae honoribus et fortunis accrescere S. Regia Vestra Maiestas velle scribit. Quod tamen ut ne irreverenter a me dictum indigne S. Regia Vestra Maiestas ferat, secusve interpretetur, submisso oro, siquidem rebus in omnibus, quoad sine gravi rationum mearum dispendio fieri potest, libenter et ex debito S. Regiae Vestrae Maiestatis postulatis obtempero. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati rescribenda esse duxi. Quam in longa tempora felicissime valere exopto. Datae.

Relatio Domini Cancellarii³⁾

Cancellarius et Doctor Jonas audiverunt

In folio separato: Regi Poloniae, die 2 Novembris anno LXVI.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Albertus Fridericus.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 6006.

S.l., 4.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*de iniuriis, subditis regiis Jurborgensibus, Nowowolensibus et aliis a
praefectis suis illatis, per litteras commonefactus, nuntiat se praefectos suos serio adhortatum esse, ne quid eiusmodi in posterum*

committerent; scribit praeterea se libenter consentire, ut commissariis regiis ad exemptionem bonorum Jurborgensium mittendis sui quoque adiungantur.

Cfr. El. XXXII, N. 1029.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 551 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

Cum nuper literae quaedam S. Regiae Vestrae Maiestatis, die IIII mensis Septembbris Warschoviae datae, de nonnullis iniuriis, Jurburgensibus, Nowowoliensibus ac aliis S. Regiae Vestrae Maiestatis subdivitis in vicinia habitantibus a praefectis ac ministris meis illatis, certiores me reddentes, ad me perferrentur, non prius acquiescendum mihi esse existimavi, quam praefectos et ministros meos, qui ea accusatione perstringi videbantur, ne quid eiusmodi in posterum committerent, sed ab omni iniuria cuiquam inferenda prorsus pro gravi indignatione mea abstinerent, diligenter et serio essem adhortatus. Id quoniam nunc a me sedulo curatum sit, vehementer sane confido eos contra hanc voluntatem meam non facile aliquid esse admissuros.

Si secus autem facere praeter spem ausi fuerint, eam certe adhibitus sum curam, ut rem mihi extreme ingratam se praestitisse non obscure intelligent. Ut autem ne hactenus quidem quisquam impune iniuria quenquam affecerit, libenter sane consentio, ut S. Regiae Vestrae Maiestatis commissariis ad exemptionem bonorum Jurburgensium mittendis mei quoque adiungantur, qui de illis ipsis iniuriis et querimoniis plenam requirendi et cognoscendi habeant potestatem. Quod ut fiat, ubi de tempore a S. Regia Vestra Maiestate certior factus fuero, non gravate providebo. Interim S. Regiam Vestram Maiestatem, cui me meaque omnia etiam atque etiam commendando, continua frui felicitate vehementer exopto. Datae.

Ad Regem Poloniae

In folio separato: Ad Regem Poloniae, IIII Novembris anno LXVI.

N. 6007.

S.l., 6.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de redemptione praefecturae Jurborgensis ita inter se et internuntium regium, Christophorum Konarski, conventum esse nuntiat, «ut pecunia pro redemptione numeranda ad festum sacri Natalis Christi proximum ad aerarium meum Regiomontanum reponatur».

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 1030.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 553 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6008.

S.l., 6.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

*Felici Aucto Dziergowski, castellano Zakroczymensi,
admonet eum, ut non ipse tantum a venatione in silvis suis in posterum
abstineat, subditisque suis damnum ullum inferat, sed ministris
etiam suis serio iniungat, ut idem faciant.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 553-554 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6009.

S.l., 6.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

*Sebastiano Ziegler, civi Cracoviensi,
petit, ut servitori suo Erasmo Genderich, quem ad emenda vina Hungari-
ca in Hungariam mittit, qui propter tempora periculosa paratam
pecuniam secum portare metuit, 700 taleros, unum talerum per 32
grossos computando, mutuo dare velit.*

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 46, f. 196 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6010.

S.l., 30.XI.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Chodkiewicz, capitaneo Samogitia generali,
litteras eius, per magistrum Georgium Weigelium missas, propensissi-
mae erga se voluntatis plenas, sibi ab eodem Weiglio redditas esse
nuntiat; librum contra arianismum, in Polonia et Lithuania in
dies magis magisque proserpentem, se non solum non invitum typis
excudi passum esse, sed etiam ut ederetur diligenter curavisse.*

Cfr. El. XLI, N. 2001.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 555-556 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Salutem ac benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Literae Magnificentiae Vestrae, humanitatis ac amoris erga nos
plenissimae, a Magistro Georgio Weigelio nobis redditae sunt. Quod
de sua erga nos propensissima voluntate singularique studio diligen-
ter et copiose perscribit, ea re non potuisset nobis praestare Magnifi-

centia Vestra iucundiorem, et amari nos a Magnificentia Vestra non solum cognovimus libentissime, sed eam nobis fortunam summopere gratulamur, amanter petentes, statuat Magnificentia Vestra se nobis vicissim neminem esse cariorem. Quod ut Magnificentia Vestra plenius intelligat, per omnem occasionem, quantum rationes nostrae eius ferent, re ipsa adeo nos comprobatus recipimus.

Librum contra arrianismum, in inclyto Regno Poloniae et Magno Lithuaniae Ducatu nunc temporis indies magis magisque proserpentem, scriptum, cum in articulo Trinitatis, quem potissimum adserit, ab Augustana Confessione non dissentire, et editio illius rei christianae magno usui et emolumento futura videretur, non solum non inviti typis hic excudi passi sumus, sed ut id fieret, sedulo curavimus. Faxit Deus Optimus Maximus, ut is ad confutandos opprimendosque Arrianorum tetros errores tantum conducat, quantum eius Ecclesia Christi desiderat. Cum autem et Magnificentiae Vestrae, ad honorem in Magno Ducatu Lithuaniae fere praecipuum evectae, cura tuendae conservandaque verae religionis non postrema incumbat, hortamur Magnificentiam Vestram perquam diligenter, ut non solum arrianismum, sed et ceteros errores omnes cuiuscunque nominis, ab Augustanae Confessionis veritate quoquo modo discrepantes, tanquam venenum non corpori saltem, verum ipsi quoque animae mortem afferens, summa perspicacitate fugiat nihilque, quod ad restinguenda eiusmodi incendia, si quando alicubi exoriuntur, usui esse possit, praetermittat, certo confidens omnes successus suos tanto fore feliores, quanto maiore studio atque ardore verae synceraeque religionis negotium tuendum suscepit. Quam Christo Salvatori nostro unico incolumem longis temporibus conservandam etiam atque etiam committimus. Datae.

Commissio Principis propria
referente Doctore Jona
Idem legit

In folio separato: Ad Iohannem Kotkiewitz, XXX Novembris anno LXVI.

N. 6011.

S.l., 5.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Felici Aucto Dziergowski, catellano Zakroczymsi;
scribit se erga eum alieno animo non esse propterea, quod venandi
potestatem in ditione sua sibi fecerit; hortatur tamen ipsum, ne in
posterum id facere perget, cum ipse «agris silvisque per divinam
gratiam satis abundet» et eiusmodi exercitia aliis compluribus
malo exemplo esse possint.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 560-561 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Salutem ac benevolentiam nostram *etc.*

Ex responso Magnificentiae Vestrae ad literas nostras non ita pridem ad Magnificentiam Vestram scriptas intelleximus, quam grave sibi hoc acciderit, quod ad nos eam sibi venandi in ditione nostra potestatem fecisse perlatum sit, queque Magnificentia Vestra in nos observantia quoque studio existat, et quod quidem nonnunquam in ditionem nostram digressa aucupio ad delectationem sit usa, nobis autem vel subditis nostris nil detrimenti attulerit, neque etiam putarit, cum id a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, in eiusdem ditionibus unicilibet ex nobilitate esset permisum, aegre nos esse laturos, velle autem nunc Magnificentiam Vestram, voluntate nostra per literas cognita, ab eo haud gravate abstinere. Quam quidem rem, quando Magnificentia Vestra id se facturam promittat, quod ex aequo per literas postulavimus, eiusmodi esse arbitramur, ut prolixa disputatione non indigeat.

Neque est, quod Magnificentia Vestra propterea alieno nos erga se animo esse existimet, quod ex pactis communibus, quae ad conservandam tranquillitatem publicam pertinere videbantur, perscripsimus. Nec inviti quidem Magnificentiam Vestram etiam in ditione nostra eiusmodi exercitiis (quantum eius sine nostro subditorumque nostrorum incommodo fieri posset) oblectare sese pateremur, nisi complures id in exemplum rapturos et postea abusum quendam consecuturum subverendum esset. Quod quidem Magnificentiam Vestram non esse admissuram, cum ipsa agris silvisque per divinam gratiam satis abundet, sed suis contentam finibus fore haud sane diffidimus. Nobis quidem eo pacto rem praestititerit summopere gratam.

In literis, quas ad praefectos nostros Magnificentia Vestra in posterum scriptura est, humanitatis eam suae rationem esse habituram dubium nobis nullum est. Capitaneo quidem nostro Neidenburgico, ne quoquo modo dissensionibus caussam praeberet, sed ab omni iniusta violentia sibi temperaret ac paci tranquillitatique tuendae studeret, serio iniunximus. Si praeter spem secus fecerit, nosque de eo certiores redditи fuerimus, eam plane adhibituri sumus severitatem, ut nobis id displicere non obscure intelligat. Quod superest, Magnificentiam Vestram, quae amari se a nobis statuat, valere cupimus. Datae.

Cancellarius¹⁾ et Doctor Jonas audivere

In folio separato: Ad Auctum Dziergowski, Castellanum Zsacrozienensem, V Decembbris anno 66.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

E Regio Monte, 12.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

significat se Christophorum Fasolt, propter eius integritatem et non vulgarem in re oeconomica experientiam, burggravium castri sui Regiomontani constituisse et rogat, ne malevolis nonnullorum de eo delationibus fidem habeat, neve eum properea ab officio deponi patiatur.

Cfr. El. XXXII, N. 1048.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 562-563 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, me proprio motu Generosum Casparem Fasolt, propter virtutem ipsius et integritatem nec vulgarem in re oeconomica experientiam, in castri mei Regiomontani burggravium cooptasse. Quia vero relatum ad me est quodam hanc ei sortem invidere, ut subverear, ne apud S. Regiam Vestram Maiestatem de amovendo eo sint laboraturi, facere non potui, quin industriae, fidei et diligentiae ipsius apud S. Regiam Vestram Maiestatem testimonium ei perhiberem simulque magnis ab illa precibus exorarem, ut si ad S. Regiam Vestram Maiestatem aliquid, quod a fidelitate viri nobilis et probe suum officium facientis alienum sit, de ipso perlatum fuerit, ne fidem accusationi eiusmodi habeat, multo minus se adduci patiatur, ut de loco movendo assensum suum praebeat, siquidem hac conditione illum ei functioni praefeci, ut quam diu pro virium suarum ratione et qualitate ei praeesse poterit, ne ab officio deponatur, nihilque de stipendio ei a me assignato dematur. Cum nihil sit, quod iure in ipso desiderari, aut in functione ex commodo meo et cum mea utilitate recte administranda carpere quis possit, quemadmodum S. Regiam Vestram Maiestatem hoc ipsum ex legatis suis, qui non ita pridem hic fuere, uberius cognovisse, aut etiam adhuc facta inquisitione cognitaram esse minime dubito.

Rem itaque gratissimam S. Regia Vestra Maiestas mihi fecerit, si eius viri servitiis fideque et probitate uti me permiserit, neque suspicionem aliquam sinistram sibi a quoquam animo infigi passa fuerit. Pluribus haec a S. Regia Vestra Maiestate contenderem, nisi illam iusti et aequi amantissimam esse scirem, meisque precibus facilem fore confiderem. Quas si S. Regia Vestra Maiestas clementer (uti spero) exaudire dignata fuerit, dabo operam, ut senilibus meis

obsequiis id ipsum submisso demerear. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet salvam et in columem. Datae Regiomonti, die XII Decembris anno LXVI.

N. 6013.

E Regio Monte, 12.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

petit, ut apud regem efficere velit, quo negotium Pauli Wobeser, equitum suorum in Livoniā mittendorum praefecti, ad adventum usque legationis Pomeranicae procrastinetur, ne eidem Wobeser potestas e custodia pro more suo elabendi offeratur.

Cfr. El. XLI, N. 20.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 389-391 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Reverende ac Generose, Amice nobis singulariter dilekte.

Non arbitramur Reverendam Vestram Generositatem latere, quid negotii nobis cum Paulo Wobissero, equitatus nostri, quem in Livoniā missuri eramus, praefecto, intercedat. De eo sane ad S. Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, diligenter perscripsimus. Quas literas Reverendam Vestram Generositatem lecturam esse minime dubitamus. Cum autem ea res plane eiusmodi sit, ut ipse Wobisserus libertati restitui, nisi nobis de omnibus satisfactum sit, sine summo nostro incommodo gravissimoque harum terrarum periculo nequam possit, et ad nos perlatum sit cognatos et affines ipsius Wobisseri, quos in Pomerania nec paucos habet nec ex nobilitate postremos, ab Illustrissimo Pomeraniae Duce, Domino Barnimo, multis precibus impetrasse, ut Illustritas eius legationem ad S. Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, et fortasse ad nos etiam sit missura, quae de liberatione Wobisseri agat.

Quo cognito rationibus nostris et omnium harum terrarum quam rectissime nos consulturos existimavimus, si Reverendam Vestram Generositatem, ut et hac in re suam nobis haud gravate navaret operam, etiam atque etiam interpellaremus. Quam maiorem in modum amanter rogamus, velit apud S. Maiestatem Regiam efficere, ut id negotii ad adventum usque legationis Pomeranicae ita differatur, ne tamen Wobissero pro more suo elabendi fiat potestas, in primis vero ne is, ubi legati nunc aderunt, prius dimittatur, quam nobis tam

de pecunia accepta quam de literis repressaliorum et ceteris rebus omnibus, de quibus iure eum convenire possumus, quaeque cum harum terrarum tranquillitate haud mediocriter coniunctae esse vindentur, satisfactum fuerit. Eo officio Reverenda Vestra Generositas nec gratius nec magis necessarium praestare ullum potest, et nos id memori mente sumus reposituri mutuaque benemerendi voluntate per omnem occasionem promerituri. Quod superest, Reverendam Vestram Generositatem diu salvam ac superstitem esse exoptamus, bonaque omnia de ea nobis pollicemur. Datae Regiomonti, XII mensis Decembbris anno MDLXVI.

Magister curiae¹⁾, Cancellarius²⁾ et Doctor Jonas audiverunt.

In folio separato: Petro Miscowski, anno etc. LXVI, XII Decembbris.

1) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.* 2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 6014.

S.l., 14.XII.1566.

*Albertus dux in Prussia
episcopo Samogitiae [Victorino Wierzbicki]
nuntiat in negotio, quibusdam subditis eius cum nobili Gerlaco Zweifel
intercedente, per definitivam sententiam ob varia impedimenta
nunc decerni non potuisse, et promittit se, revisis actis, utrique
parti prima quaque occasione ad audiendam definitivam senten-
tiam certum diem constituturum esse.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 564 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6015.

S.l., 17.XII.1566.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
binas litteras regias, alteras Latino, alteras Germanico sermone scri-
ptas, se accepisse nuntiat et iterum una cum filio et toto Ducatu suo
se regi summo studio commendat; Casparem Fasolt, castri*

Regiomontani burgravium a se constitutum, quomodo ab officio amovere possit, se non videre scribit, eumque iterum regi commendat.

(Schedula: de facinoribus a praefectis suis in silvarum regiarum custodes patratis accuratius a rege certior fieri cupit).

Cfr. El. XXXII, NN. 1038, 1039, 1040.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 565-568 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Binas a S. Regia Vestra Maiestate accepi literas, alteras Latino, alteras vero Teutonico sermone scriptas. Utraeque autem ob singularem S. Regiae Vestrae Maiestatis erga me amorem ac benevolentiam, quando me meaque omnia una cum filio meo¹⁾ charissimo S. Regiae Vestrae Maiestati (de quo quidem nunquam vel minimum mihi dubium fuit) summae curae esse non obscure significabant, incredibilem mihi voluptatem attulerunt. Neque pari studio quicquam exopto, quam ut in hoc aetatis meae prope ultimo actu quoquo modo protantis beneficiis non ingratus videar extitisse. Quod quidem cum re ipsa praestare per virium ac rationum mearum tenuitatem non possum, si vel verbis saltem consequerer, abunde mihi ipsi satisfactum putarem. Voluntate certe ad promerenda ea omnia promptissima ad extremum usque vitae meae halitum me destitui non patiar.

Etsi autem quam benevolo propensoque S. Regia Vestra Maiestas non erga me solum, sed et filium meum charissimum universamque ditionem meam animo existat, adeo perspicuum exploratumque sit, ut de eo dubitare nemo aut possit aut debeat, fit tamen nescio quo modo magis amoris erga S. Regiam Vestram Maiestatem abundantia quam aliqua dubitatione mea, ut facere omnino non possim, quin me, in primis vero filium meum charissimum, cum quantulacunque ditione mea et omnibus ipsius incolis, S. Regiae Vestrae Maiestati, in qua post Deum immortalem spem omnem repositam habeo, iterum atque iterum summo studio commendem, eamque etiam atque etiam exorem, ut me meumque charissimum filium, alterum quidem ob gravem senectam rebus prope perfunctum, alterum vero ad res administrandas ob immaturam aetatem adhuc non satis idoneum, solito favore ac gratia clementer prosequatur. Eius ne S. Regiam Vestram Maiestatem unquam paeniteat, summae mihi curae erit, et filium meum, ne secus mereatur, sed partes suas debita fide, studio ac observantia diligenter tueatur, et instituo nunc, et ut etiam post obitum meum instituatur, sedulo curo.

Quod ad Casparem Fasoldum attinet, qui a me burggravius castri Regiomontani constitutus est, quomodo eum absque magna et auctoritatis meae et existimationis suae imminutione ab officio amovere possim, quum et probus et integer vir sit, non equidem video. Rogo itaque S. Regiam Vestram Maiestatem vehementer, cum fides et integritas ipsius satis explorata sit, tribuat hoc amori in me suo, ne hac in parte quicquam, quod adversus dignitatem meam futurum sit, committere habeam necesse. Ab ipso quidem Christophoro a Kreitzen²⁾ non magnopere alienus sum, sed propter hunc alterum ab officio removere non satis cum mea dignitate coniunctum esse videtur. Quam ob rem confido S. Regiam Vestram Maiestatem dignitatis et nominis mei, per divinam gratiam ad praesentem usque diem a multis annis conservati, rationem in eo clementer esse habituram. Quod ego debitum meis officiis, quoad vita me non deseruerit, omnium nervorum contentione promereri studebo. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu incolumem ac superstitem conservet. Datae.

Commissio Principis propria
Cancellario³⁾ et Doctore Jona referentibus

Cedula in literis ad Regem (*cfr. El. XXXII, N. 1040*).

Praeter duas illas literas, ad quas S. Regiae Vestrae Maiestati respondi, adhuc unas accepi, quibus S. Regia Vestra Maiestas de caesis duobus sylvarum suarum custodibus incensisque domibus, ad sylvarum custodiam aedificatis, ac de nonnullis aliis iniuriis ad me perscribebat, utque homicidae pro merito perpetratae caedis plecterentur et praefecto sylvarum S. Regiae Vestrae Maiestatis iustitia debita administraretur, clementer postulabat, ea in re S. Regiae Vestrae Maiestati, uti debeo, morem libenter gessisse, nisi ex literis, quo in loco et a quibus custodes caesi essent, et ad quem ex praefectis meis cognitio eius rei pertineret, cum Ustrocensis⁴⁾ prefecturae, quam in mea ditione eis nominis nullam habeo, in literis S. Regiae Maiestatis Vestrae mentio fiat, assequi satis non potuisse. Peto itaque de misse, dignetur S. Regia Vestra Maiestas accuratius certiorem me de iis reddere, tunc id plane curaturum me recipio, ne cui spe impunitatis ad similia audenda ansa porrecta fuisse merito videatur. Datum ut in literis.

In folio separato: Ad Regem Poloniae, XVII Decembris anno LXVI.

1) *Albertus Fridericus.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

2) *burggravius Regiomontanus.*

4) *Insterburgensis.*

S.l., 17.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Chodkiewicz, Samogitiae capitaneo,
pro heredibus Henrici a Dohna, qui in expeditione Livonica fortiter
pugnando vitam amiserat, intercedit et rogat, ut rationem eorum
habere velit et possessionem Novi Molendini cum districtu Honnighofensi
ipsis integrum et tranquillam relinquat.*

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 568-570 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Salutem ac benevolentiam nostram etc.

Certiores facti sumus ab heredibus Generosi Henrici Burggravii et Baronis a Dona, qui ante paucos annos iussu S. Regiae Maiestatis Poloniae etc., Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, a qua equitum Germanorum alae ob rei militaris, quam usu adeptus fuerat, peritiam, praefectus fuerat, in expeditionem Livoniensem pro ipsius adeo Regiae Maiestatis dignitate conservanda profectus, in armis vitam fortiter finivit, Magnificentiam Vestram de bonis ipsorum ad praefecturam Novi Molendini, quae ab Illustri Domino Curlandiae Duce¹⁾, cum adhuc Generalem Livoniae Magistrum ageret, ipsi Henrico ob singularem ipsius fidem ac integritatem, S. Regiae Maiestati, inclito Regno Poloniae et sibi non dubiis modis comprobata, iure hereditario concessa ac subsequentibus temporibus a S. Regia Maiestate non obscuris responsis confirmata fuit, nonnullam partem adimere voluisse, et ut privilegium super ea donatione confectum aut ipsi Magnificentiae Vestrae, aut in futuris Regni Comitiis S. Maiestati Regiae exhiberetur, iussisse. Etsi autem heredes ipsius Henrici Baronis a Dhon non desperent S. Regiam Maiestatem, quod semel ei viro, qui a S. Regia Maiestate a puero educatus sit et in virili aetate totus pro S. Regia Maiestate eius in vitae discrimen sese coniicere et tandem per vulnera tam pulchram mortem oppetere minime dubitarit, eiusque heredibus maturo consilio attribuit, nunquam quoconque titulo esse repetituram, petierunt tamen enixe, ut ea de re ad Magnificentiam Vestram literas dare non dignaremur. Quod ut non gravate faceremus, permovit nos et ipsorum nobilitas et fides, tam a parentibus ipsorum quam ipsismet semper nobis praestita.

Rogamus itaque Magnificentiam Vestram horum subditorum nostrorum caussa, quorum fideli perutilique opera in plerisque negotiis nostris libentissime utimur, velit eorum benigne habere rationem ac possessionem Novi Molendini cum appertinentibus bonis, praesertim autem districtu Honnighofensi, ipsis integrum tranquillamque relinquere, nec ut miseri ipsorum subditi quoquo modo iniuria aut

molestia affiantur, permettere. Quod attinet ad privilegium in originali exhibendum, id quidem se haud gravate facturos affirmant, nisi id ex fratribus natu maximus, qui iam ut in posterum et Regno Poloniae, Magno Ducatu Lithuaniae patriaeque suae eo utilius inseruire possit, S. Romanae Imperatoriae Maiestati adversus Turcam operam navat, custodivisset, et quidem ubi is favente divina gratia redierit, se id exhibituros esse, si iussi fuerint, recipiunt. Factura Magnificentia Vestra rem nobis pergratam et mutua benemerendi voluntate compensandam. Datae.

Commissio Principis propria, referente Curiae
Magistro²⁾, astante Cancellario³⁾

In folio separato: Ad Johannem Chotkiewitz, XVII Decembbris anno etc. 66.

Alia manu: In herren Heinrichen von Dhonen erben handlungen, belangende die Neue Mule.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes Iacobus Truchsess in Waldburg.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 6017.

S.l., 17.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Ławski, palatino Masoviae.

Matthiam Sokolowski, subditum et alumnnum suum, postulandae hereditatis paternae causa in Masoviam proficiscentem, commendat et rogat, ut velit eum ita adiuvare, «quo absque magno negotio atque impensa hereditatem suam consequi ac tanto citius etiam ad studia sua redire possit».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 564-565 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6018.

S.l., 20.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

de bona valetudine eius, de qua ex literis ipsius se cognovisse nuntiat, gaudet et gratulatur; magno tamen dolore se affici scribit propter iam statutum et appropinquantem reginae, in qua post Deum totum refugium suum et fiduciam posuerit, ad imperatorem discessum;

se ipsum, filium, terras et subditos suos omnes ei commendat; promittit filium suum ita a se edoctum et admonitum iri, ut exemplo maiorum suorum Domui Austriae semper fideliter serviat; rogat, ut apud imperatorem operam suam interponere velit, ut copiam aliquam argenti, ad cudendos minutos nummos necessarii, in Hungaria emere sibi liceat.

Cfr. El. XXXII, N. 1034.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 198-201 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

An die konigin zu Polan, den 20 Decembris.

Gnedige, freuntliche, liebe fraw, muhme und geschwey.

E.Ko.Mt. an mich gethanes gantz gnediges und zu Velun jungst-vorschien 7 monatstagk Octobris datirtes aigen handtschreiben hab ich mit geburender reverenz empfangen und daraus E.Ko.Mt. gegen mihr tragendes koniglichs gewogenes hertz und gemuet, welches mihr doch vorhien mehr als gnugsam bekannt, überflussig und mit sondern hohen freuden und frolocken verstanden. Das E.Ko.Mt. von dem lieben Gott bishero bey guter leybes gesundhait, davor billich seiner almacht unaufhorlichen lob, ehr, preis und danck zu sagen, erhalten und gefristet worden, mit embsigem bitten, er wolle E.-Ko.Mt. nach seinem gnedigen vaterlichen, willen dieselbe und alle wollfart nach lange mit gnaden geben und vorleyhen. Und thue daneben gegen E.Ko.Mt. ich mich des ob meinem wolstande tragenden frolockens und das sich E.Ko.Mt. mich mit ihrem aigen handtschreiben, auch gleich in E.Ko.Mt. aufbrechen, do sie, als ich abnehmen khann, sonst vielfaltig hoch bekhummert und bemüet gewesen, zu besuchen nicht beschweret, zum allerunderthenigsten und gehorsambsten bedancken. Und ob ich woll numehr meiner gelegenheit nach mehr schwach und kranck als gesundt, wollen doch E.Ko.Mt. mich bey ziemlicher wolmögenhait, also das ich dannost meiner bequemigkeit abwarten kann, wissen. Der güttige gnedige Gott wolle es ferner nach seinem gnedigen willen und wollgefallen und zu seinen ehren mit mihr schicken und ordenen.

Dis aber ist mir allein schmertzlichen und gantz bekhommerlichen zu vornehmen gewesen, wirt mich auch, als der ich in diesen meinen schweren hohen alters und letzten tagen negst Gott alle meine zuflucht und zuvorsicht in diesen landen zu E.Ko.Mt. gesetzt, nicht wenig krancken, das E.Ko.Mt. sich nuhmehr auf ihre vorlengst vorgenommenen und angstalten raisen zu derselben geliebten hern brudern, der ro. kay.mt.¹⁾, meinem allergnedigsten hern, begeben. Und ich dieselbe also weit von hinnen, aus diesen landen (darob ich weinig

schreiben oder zeitungen von E.Ko.Mt., wie es iederzeit umb derselben gesundhait und zustandt, den ich doch stets glucklich von hertzen wuntsche und bitte, gelegen, haben werde khönnen) wissen solle. Habe noch allewege und bis auf die stunde, do ich E.Ko.Mt. schreiben empfangen, gehoffet, es solte der liebe Gott die hendel also geschicket und die mittel und wege gegeben haben, das solche E.Ko.Mt. raise gar eingestellet und E.Ko.Mt. in diesen landen mihr und allen frommen cristen zu troste bleiben mugen. Als es aber dem gnedigen Gott und der ko.mt. zu Polann etc., E.Ko.Mt. hertzlieben hern und gemaell, meinem gnedigen hern und freuntlichen lieben ohmen, auch E. Ko.Mt. selbst allso gefallen, kann ich, wie laitt mirs auch ist, ja wie schmertzlich und bekummerlich mirs auch gefallet, mehr nicht darzu, weder das ehs Gott bevhele und seine almacht herzlich anrufe und bitte, er wolle E.Ko.Mt. vor allem argen leibes und der seelen gnedigist schutzen und bewaren und mit gnaden vorleyhen, das es E.Ko.Mt. nicht allain auf der raisen, dann auch sonstn allenthalben glucklichen, woll und nach dem allerbesten ergehen, und sie iren geliebten hern brudern, die ro. kay. mt. hochstgenannt, und alle die ihrigen, desgleichen auch in ihrer zuruckankunft iren hertzlieben hern und gemaeln, die ko.mt. zu Polann etc. hochgedacht, gesundt, frisch und frölich vor sich finden, und solcher E.Ko.Mt. zugk gereichen und gedeyen möge zu Gottes ehre, E.Ko.Mt. zum besten und aller wollfart, und dan der baiden hohen potentaten und baiderseits stenden und underthanen und der gantzen christenhait zu aufwachs, nutz, gedey, auferung und allem gutten.

Also bin auch E.Ko.Mt. ich fur ihr beschehenes gahr gnediges erbieten ins underthenigste danckbar. Trage daran den wenigsten zweifel und ist darauf an E.Ko.Mt. mein undertheniges bitten, sie wollen demselben irem gnedigen und koniglichem erbieten zuvolge nicht allain fur ihre königliche person meine gnedigste königin sein und so volkhomlichen, als wann E.Ko.Mt. in dieser gegendt wehren, vorbleiben und mich, meynen geliebsten sohn²⁾, arme landt und leute mit königlichen gnaden bevolen halten, dann auch irem geliebsten hern brudern, der ro. kay. mt., meinem allergnedigsten hern, ins vleissigste und trewlichste bevelen und meiner stets im besten gedencken, mich auch dermassen beyn irer mt. mit vleis vorbitten, damit ich in diesem meinem schweren und hohen alter und nach vor meynem absterben der beschwerlichen acht, darein ich doch unschuldig khommen und gesetzt, endtlediget und der frenckischen lehen vehig werden möge, auf das ich meinen sohn in soviel mehrer ruhe und stille hinder mich vorlassen, ich auch, wan der liebe Gott dermalnains, wie ich dann nuhmehr teglich und alle stunden gewertig sein mus, über mich gebieten wirdt, mit dest frölichern gewissen, mehrer ruhe und sanftmut aus dieser welt abschaiden khönne.

Des will ich meinen sohn dohin mit vleis underrichten, ermahnen und ziehen lassen, das ehr nichts weniger als ich, ohne ainigen ruhm, stets ie und allewege gethan, sich aller dinstwilligkeit und underthenigen trewe gegen das lobliche haus Osterreich bekleissen und dermassen vorhalten, auch E.Ko.Mt. also vor augen haben solle, das die ro.kay. und E.Ko.Mt., sowol alle des hauses Osterrerich verwandten gantz gnediges gefallen darahn tragen mögen, der underthenigen ungezweifelten hofnung und zuvorsicht, E.Ko.Mt. hierin ire authorithet bein E.Ko.Mt. hern brudern, der ro. kay. mt., interponiren und an irem trewen vleis nichts erwinden noch mangeln werde.

Letzlichen khann E.Ko.Mt. ich underthenigst nicht bergen, das alhie in diesen landen an der kleinen muntz groser mangel erspurt wirt. Derwegen ich bedacht, etwan dergleichen kleine landtmuntze als groschen, schilling und pfennige muntzen zu lassen. Weill mirs aber an silber mangelt und auch dieser orter dergestalt nicht zu kriegen, und ich dann berichtet, das es im lande zu Ungern und den umbliegenden bergstedten woll zu bekkommen, hab ich bey mihr geschlossen, jemandsen der meinen in die lande mit dem ersten abzufertigen und mihr zu obigem notwendigen behuff etzliche lödige marck silbers einkaufen zu lassen. Belangt darauf an E.Ko.Mt. mein underthenigstes dinstvleisiges bitten, E.Ko.Mt. wolle bey der ro. kay. mt. fur mich mit vleis intercediren und dohin befurdern helfen, das s.mt. mihr etwan eine drey oder vier tausendt lödiges marck silbers zu vorgemelter meiner und meiner armen lande notwendigkeit in derselben lenden umb mein gelt zu erkauen und nurn zollfrey aus vorstatten wolle. Wo ich in meynem armen furstenthumb etwas habe oder auch dieser ort zu bekkommen ist, damit der ro. kay. mt. gedienet, sollen ire mt. befinden, weill ich ohne ainigen ruhm noch stets mit höchstem ernst und vleis dahin gesehen und getrachtet, wie ich dem loblichen hause Osterreich zu dienstwilligem gefallen leben und underthenige behegliche dienste erzaigen und beweisen mögen. Und derhalben, das es in diesem meinem alter und letzten tagen daran mangeln solte, ungerne beschuldiget werden wolte, das ich der danckbare gegen irer mt. iederzeit will erspuret werden. Bitt auch underthenigstes vleises, im fall auch E.Ko.Mt. ich womit dieser örter dienen oder mein gegen E.Ko.Mt. tragendes dienstlichs hertz und gemuet beweisen kann, E.Ko.Mt. wolle mihr solches nicht vorhalten, sondern michs wissen und vorstendigen lassen, so sollen E.Ko.Mt. mein gutwilligkeit erkennen und das ich mihr solchs von E.Ko.Mt. zu hohen und grosen koniglichen gnaden ziehen und achten will. Und thue E.Ko.Mt. hiemit in den schutz, schirm und bewahrung Gottes, E.Ko.Mt. auf seinem wege fur und fur zu leiten und zu furen und fur allem argen leybes und der sehlen gnedigst zu bewaren, so auch zu vielen langen jaren bey gutter, frischer leybes

gesundthat und aller wollfart vaterlichen zu erhalten, und mich
in E.Ko.Mt. gnad und königliche gewogenhait trewlichen und mit
vleis empfeilen.

Caspar Dargitz Secretarius
Relatione D. Magistri Curiae³⁾, D. Cancellarii⁴⁾ et
D. Doctoris Jonae. Iidem audiverunt et probaverunt et
Princeps praesentibus D. Cancellario et D. Jona audiens consensit

- 1) *Maximilianus II.*
2) *Albertus Fridericus.*

- 3) *Ioannes Jacobus Truchsess.*
4) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 6019.

E Regio Monte, 21.XII.1566.

Albertus dux in Prussia
Christophoro Konarski, secretario regio,
rogat, ut summam 30.000 talerorum, ratione redemptionis praefecturae
Jurborgensis sibi a rege debitam, Reinholdo Crocau nomine regis
persolvendam curet.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, NN. 2006, 2007.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 196-197v (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6020.

S.l., 22.XII.1566.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
internuntium regium, Ioannem Demetrium Solikowski, se libenter audi-
visse nuntiat eique suum ad capita legationis eius responsum regi
reddendum tradidisse.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 1042.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 571 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6021.

S.l., 22.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,

*per tabellarium suum litteras ad regem et ad Regni cancellarium scriptas
mittit et rogat, ut eas ad manus proprias regi et vicecancellario
reddendas curet.*

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 2008.

Ostpr. Fol., vol. 46, ff. 197v-198 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

N. 6022.

S.l., 28.XII.1566.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*nuntiat legatos ducis Pomeraniae, de liberatione Pauli Wobeser captivi
acturos, his diebus litteras fidei et instructionem legationis suaे
sibi exhibuisse et, accepto a se responso liberationem eius in pote-
state regis esse sitam, iter ad regem suscepisse; rogat igitur, ne de
dimitendo Wobesero aliquid decernatur, antequam de omnibus,
cum salute et tranquillitate terrarum suarum coniunctis, sibi satis-
factum fuerit.*

Cfr. El. XXXII, NN. 1048, 1054.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 398-400 (et Conc., H B A, B, K. 1189).

Serenissime Rex etc.

In memoria adhuc S. Regiam Vestram Maiestatem habere mini-
me dubito, quae nuper ei per literas de adventu legatorum Pomerano-
rum non obscura fama cognito, qui de liberatione captivi Pauli Wo-
bisseri acturi essent, demisse significavi. Illi ipsi legati tam ab Illu-
strissimo Pomeraniae Principe, Domino Barnimo Seniore, quam ab
familia Wobisserorum missi, nimirum Nobiles ac Generosi Ernestus
Weierus et Iacobus Wobisserus, his diebus redditis mihi fidei literis
exhibitaque, quam habebant, instructione, sigillo ac subscriptione
praenominati in Pomerania Ducis confirmata, tres praecipue condi-
tiones proposuerunt, quibus liberatio captivi Wobisseri tentaretur,
et quarum mentionem apud S. quoque Regiam Maiestatem Vestram

facturos eos mihi dubium non est. Iis, pro debita S. Regiae Vestrae Maiestati reverentia, respondere aliud non potui, quam et ipsum Wobisserum et liberationem eius non tam in mea, quam in S. Regiae Maiestatis Vestrae manu et potestate esse sitam.

